

ARCHIVIO STORICO BERTONIANO

SERIE III: FONTI BERTONIANE

N. 5

**MANOSCRITTI
DI DON GASPARE BERTONI**

**VOL. V
(8086-9992)**

Trascrizione a cura di P. Luigi Benaglia

CURIA GENERALIZIA DEGLI STIMMATINI

ROMA 1999

Edizioni “Ta Stigmata:
Collaboratori Bertoniiani”
Roma, novembre 1999

ARCHIVIO STORICO BERTONIANO

Serie I:

Cronache	N. 1	Cronaca Lenotti	(1855-1871)
	N. 2	Cronaca Zara	(1875-1877)
	N. 3	Cronaca Zandonai	(1873-1878)
	N. 4	Cronaca Tommasi	(1874-1879)
	N. 5	Cronaca Zara II	(1878-1889)
	N. 6	Cronaca Tommasi II	(1880-1882)
	N. 7	Cronaca Tommasi III	(1883-1885)
	N. 8	Cronaca Tommasi IV	(1886-1888)
	N. 9	Cronaca Tommasi V	(1889-1891)
	N. 10	Cronaca Tommasi VI	(1892-1894)

Serie II:

Prediche	N. 1	Discorsi dello Sposalizio	(1823-1851)
	N. 2	Discorsi su S. Francesco	(1808-1851)
	N. 3	Discorsi delle Stimmate di S. Francesco	(1823-1849)

Serie III:

Fonti Bertoniiane	N. 1	Manoscritti di Don Gaspare Bertoni Vol. I	
	N. 2	Manoscritti di Don Gaspare Bertoni Vol. II	
	N. 3	Manoscritti di Don Gaspare Bertoni Vol. III	
	N. 4	Manoscritti di Don Gaspare Bertoni Vol. IV	
	N. 5	Manoscritti di Don Gaspare Bertoni Vol. V	

Seguiranno altre Serie come quella Giuridica, Biografica...

8086

MEDITAZIONE 36.

Matth. 7,21: Non omnis qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in regnum coelorum, sed qui facit voluntatem Patris mei qui in coelis est, ipse intrabit in regnum coelorum. v. 22: Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo daemonia ejecimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus? v. 23: Et tunc confitebor illis: Quia nunquam novi vos. Discedite a me qui operamini iniquitatem.

8087 *Matth. 7,21:* Non omnis qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in regnum coelorum, sed qui facit voluntatem Patris mei qui in coelis est, ipse intrabit in regnum coelorum.

- Cur non dixit: Sed qui facit voluntatem meam?

- Quia hoc interim poterant libentius accipere; illud enim, perpensa illorum infirmitate, tunc magnum admodum erat; alioquin vero per illud hoc ipsum etiam subindicavit. Ad haec autem illud insuper dicendum non esse aliam Filii, aliam Patris voluntatem.

8088 Hic vero mihi maxime videtur Judaeos perstringere, qui in dogmatibus summam rerum ponebant, nec de vita probe agenda curabant. Ideoque illos Paulus coarguit dicens, Rom. 2,17: Si autem tu Judaeus cognominaris, et requiescis in lege et gloriaris in Deo, v. 18: et nosti voluntatem ejus, et probas utiliora instructus per legem. Verum nihil tibi ex illa accedit, quando vitae et operum exemplar non adest. Ille autem non hic substitit, sed quod multo magis erat, dixit:

Matth. 7,22: Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus?

8089 Non enim solum, inquit, qui fidem habet, si vita negligatur, ad regnis excluditur; sed etiamsi cum fide multa digna ediderit, nec boni quidpiam fecerit, a sacris similiter portis repellitur.

Multi dicent mihi in illa die: Domini, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus? *ibi.*

Videntur quomodo sese latenter postea simul inducat? Postquam totam absolvit concionem, se quoque judicem ostendit. Nam quod ultio peccatores sit invasura, jam prius ostenderat; is autem ultor futurus esset, hic demum revelat. Nec clare dixit: Ego sum, sed: Multi dicent mihi, idipsum rursus indicans.

8090 Nisi enim ipse judex esset, quomodo dixisset eis:

Matth. 7,23: Et tunc confitebor illis: Quia nunquam novi vos. Discedite a me qui operamini iniquitatem.

Nunquam novi vos: Non solum in die judicii, sed neque etiam cum miracula edideris; ideoque discipulis dicebat, Luc. 10,20: Veruntamen in hoc nolite gaudere quia spiritus vobis subjiciuntur: gaudete autem quod nomina vestra scripta sunt in

coelis. Et ubique multam jubet vitae curam agere. Neque enim fieri unquam potest ut homo recte vitam instituens et omnibus morbis liberatus despiciatur; sed etsi aliquando erraverit, cito illum Deus ad notitiam veritatis pertrahet.

8091 Illud hic vult ostendere: fidem sine operibus nihil valere. Deinde id ostendens, signa addidit, ostendens non modo fidem, sed etiam signorum operationem operanti nihil prodesse sine virtute; quia autem expectationi suae contrarium finem esse videbant, et hic mirabilia patrando perspicui, illic se supplicio plectendos cernebant, stupefacti et mirantes dicunt:

Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus? 7,22. Quomodo ergo nunc aversaris?

8092 Quid sibi vult inexpectatus ille finis? Sed illi quidem mirantur quod post talia edita opera puniantur; tu vero ne mireris: omnis quippe gratia ex dantis munere prodit; illi vero nihil a seipsis attulerunt, ideoque jure supplicio traduntur, eo quod erga eum qui sic eos honoraverat ut indignis talem gratiam tribueret, ingrati fuerint.

Christus demonstrare volebat neque fidem, neque miracula valere, vita non consentiente. Quod et Paulus dicebat, 1 Cor. 13,2:... Et si habuero omnem fidem ita ut montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil sum. Multi credentium dona acceperunt, qualis erat ille qui cum ipsum non sequeretur, tamen daemonia ejiciebat, *Marc. 9,37 sqq.* Qualis erat Judas: nam hic quoque cum malus esset donum acceperat.

8093 In veteri quoque lege id repertum est: gratiam nempe in indignis saepe operantem, ut aliis beneficia conferret. Quia enim non omnes ad omnia idonei erant, sed alii quidem vitam puram agebant, neque tanta fide praediti erant, alii vero contrario; et his utitur ut illos moneret, ut multam fidem exhibeant, et illos per ineffabile hoc donum evocat, ut meliores evadant. Ideoque abundantissime gratiam dabat.

Virtutes multas fecimus. Et tunc confitebor illis: quia nunquam novi vos, 7,23. Nunc quidem se amicos meos esse putant; tunc vero cognoscent me illis non ut amicis dedisse.

8094 Ecquid miraris si viris quidem in ipsum credentibus sed vitam non habentibus consonam munera ille dedit, quando in iis quoque qui utroque hujusmodi bono vacui erant invenitur operatus? Balaam quippe et a fide et a bona vita alienus erat, attamen gratia in illo ad aliorum res providendas operata est. *Num. 22,1 sqq.* Etiamque Pharaon talis erat, et tamen ipsi quoque futura ostendit. *Gen. 41,25 sqq.* Et Nabuchodonosori iniquissimo ea quae post multas generationes futura erant revelavit. *Dan. 2,1 sqq.* Ipsius quoque filio, qui patrem iniquitate superabat, futura ostendit, mirabiles magnasque res ita dispensans, *Dan. 5,13 sqq.*

8095 Quia igitur praedicationis exordia tunc erant, multaque oportebat ejus

potentiae argumenta monstrari, multi ex indignorum etiam numero dona accipiebant; attamen illi ex istiusmodi signis nihil lucrabantur sed etiam graviore supplicio puniuntur; ideoque hanc terribilem vocem emisit ipsis: Nunquam novi vos. Multos enim hic odit, et ante iudicium aversatur.

Timeamus itaque dilecti, et multam instituendae vitae curam impendamus; neque putemus minus nos habere quia signa nunc non facimus. Nihil enim unquam amplius ex signis nobis reddetur, sicut nihil minus eo quod signa non edamus, si virtutibus omnibus demus operam. Signorum quippe debitores non sumus: pro bona autem vita et operibus Deum haemus debitorem.

8096

MEDITAZIONE 37

Matth. 7,28: Et factum est, cum consummasset Jesus verba haec, admirabantur turbae super doctrina ejus; v. 29: Erat enim docens eos sicut potestatem habens, et non sicut Scribae eorum et Pharisei.

Matth. 8,1: Cum autem descendisset de monte, secutae sunt eum turbae multae. v. 2: Et ecce leprosus veniens adorabat eum dicens: Domine, si vis potes me mundare. v. 3: Et extendens Jesus manum, tetigit eum dicens: Volo mundare. Et confestim mundata est lepra ejus. v. 4: Et ait illi Jesus: Vide nemini dixeris; sed vade, ostende te sacerdoti, et offer munus quod praecepit Moyses in testimonium illis.

8097 Certe consequens erat ut de oneroso sermone dolerent, torperentque ob praeceptorum sublimitatem. Jam vero tanta erat docentis virtus, ut multos eorum caperet, atque in admirationem ingentem abriperet, suaderetque propter voluptatem ex sermone partam, ut ne postquam finem dicendi fecerat, ab illo discederent. Neque enim cum ex monte descendit auditores abscesserunt, sed totum auditorum theatrum sequutum est, tantum illis indiderat doctrinae suae amorem. Admirabantur autem maxime illius potestatem; non enim ad alium dicta referens loquebatur, ut Moyses, sed ubique ostendebat seipsum esse qui auctoritatem haberet; nam cum leges saepe pronunciaret, adjiciebat: Ego autem dico vobis; et cum diem illum commemoraret, seipsum monstrabat iudicem et per supplicia et per praemia.

8098 Atqui hic consequens videbatur esse ut illi turbarentur; nam si Scribae, qui viderant illum per opera potentiam suam ostendere, lapidibus eum impetierunt et expulerunt, quomodo ubi verba tantum erant quae illam exhiberent, non verissime offenculo fore, cum maxime haec in exordio dicerentur, priusquam ille potentiae suae experimentum dedisset? Attamen nihil horum patiebantur, quando enim animus probus et frugi est veritatis doctrinae facile obtemperat; quapropter illi quidem etiamsi ejus potentiam signa praedicarent, offendebantur; hi vero, sermonem tantum audientes obtemperabant et sequebantur.

8099 Hoc enim subindicans evangelista dicebat:

Secutae sunt eum turbae multae: non aliqui ex Principum et Scribarum numero, sed quotquot a nequitia liberi erant sinceroque animo. Per totum autem evangelium hos vides ipsi haerentes; nam cum loqueretur silentes audiebant, non interrumpentes, non interpellantes loquentem, non tentantes, nec occasionem admirabundi sequebantur. Tu vero mihi consideres velim Domini prudentiam, quomodo variet ad audientium utilitatem; quomodo a miraculis ad verba, et mox a verbis ad miracula transeat. Nam priusquam ad montem ascenderet multos curavit, *Matth. 4,23*, ut iis quae dicenda erant viam pararet; et postquam longam quaestionem absolverat, rursus ad miracula venit, factis dicta confirmans.

8100 Quia enim erat... docens... sicut potestatem habens, *7,29*, ne hic docendi modus fastum saperet, aut ostentationem, operibus idipsum facit, et tamquam potestatem habens morbos curat, ut ne ultra turbarentur, ipsum videntes ita docentem, cum miracula sic ederet.

Matth. 8,1: Cum autem descendisset de monte, secutae sunt eum turbae multae, v. 2: et ecce leprosus veniens adorabat eum dicens: Domine, si vis potes me mundare.

Magna prudentia et fides accedentis; neque enim doctrinam interpellavit, neque auditorum theatrum secuit; sed opportunum expectavit tempus, et ubi Christus descendisset accessit.

8101 Nec perfunctorie, sed multo cum fervore, et ante genua ejus, ipsi supplicat, ut ait alter evangelista, *Marc. 1,40*, ac cum sincera fide, et congruenti circa illum opinione; neque enim dixit: Si Deum precatus fueris; neque: si oraveris; sed: si vis, potes me mundare. Neque dixit: Domine, munda me; sed ipsi cuncta committit, atque curandi dominum illum esse, et potestatem ejus summam testificatur.

- Quid igitur, inquires si falsa erat leprosi opinio?

- Illam confutare oportuit, ipsumque increpare ac corrigere.

- Num igitur illud fecit?

- Nequaquam: imo dictum confirmat et roborat. Ideoque non dixit: mundare, sed:

8102 *Matth. 8,3*: Et extendens Jesus manum tetigit eum dicens: Volo: mundare; ut non illius opinione, sed Christi sententia dogma firmaretur. At non sic Apostoli; sed quomodo? Quia populus totus stupebat, dicebant illi, *Act. 3,12*: Quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostra virtute aut potestate fecerimus hunc ambulare? Dominus vero, etsi multa modeste saepe dixerat, quae gloriae suae inferiora essent, idque ut veritatis doctrinam firmaret, quid dicit hic iis qui de potestate ipsius stupebant? Volo: mundare, etsi cum tot tantaque signa fecisset, nunquam sic locutus fuisse videatur.

8103 Hic vero, ut et populi et leprosi de potestate sua opinionem firmaret, ideo

premisit: Volo. Neque dixit ut non faceret, sed statim opus sequutum est. Si vero ille non bene dixisset, si blasphemiam protulisset, cohibendum erat opus. Nunc autem jussa natura cessit cum ea qua par erat celeritate, imo majore quam Evangelista expresserit. Nam illud: Et confestim... longe tardius est, quam operis celeritas fuit. Neque solum dixit: Volo mundare, sed: et extendens Jesus manum tetigit eum.

8104 - At, quod magis inquisitione dignum est, cur voluntate ac verbo curans ipsum, manus tactum adjiecit?

- Non alia de causa, arbitror, quam ut indicaret se non legi subjectum, sed supra legem esse, ac mundo deinceps nihil immundum fore. Eliseus quippe, legi obsequens, Naamanum ne respexit quidem; ut autem offensum audivit quod non egressus fuisset, nec se tetigisset, ut legem accurate servaret, domi manens misit eum ad Jordanem ut se ablueret; Dominus vero ostendit se non ut servum, sed ut Dominum curare, tangitque leprosum. Neque enim manus per lepram immunda facta est, sed leprosum corpus a sancta manu mundatum est. Non enim corpora tantum curaturus advenerat, sed animam quoque ad philosophiam deducturus.

8105 Sicut ergo non lotis manibus manducare, non ultra prohibitum esse dicit, cum optimam illam de ciborum indifferentia legem inducit, sic et hoc loco agit, docetque animam oportere curari, sublatisque externis illis purificationibus, illam esse abstergendam, ipsiusque tantum lepram esse timendam, quae est peccatum; nam leprosum esse nullum ad salutem impedimentum affert. Primus ipse leprosum tangit, et nemo criminatur; neque enim corruptum erat tribunal, neque invidia correpti spectatores erant. Ideoque non modo non calumniati sunt, sed stupore percussi de miraculo cesserunt, ex dictis et factis invictam ejus potentiam admirantes.

8106 *Matth. 8,4:* Et ait illi Jesus: Vide, nemini dixeris; docens ut a fastu et ambitione abstinenceatur. Certe noverat ille ipsum non esse taciturnum, sed benefactorem esse celebratum; attamen quod pene se erat fecit.

- Cur ergo, inquires, alibi publicare jussit?

- Non secum pugnans, neque contraria jubens, sed ut doceret gratos esse oportere; neque enim ibi, *Luc. 17,18*, praecepit ut se celebrarent, sed ut darent gloriam Deo; per hunc quidem leprosum docens nos ut sine fastu simus et vanam gloriam fugiamus; per illum vero ut grati et beneficiorum memores; atque nos instituens ubique ut laudem Domino referamus.

8107 Quia enim homines ut plurimum, cum morbo laborant Dei recordantur; morbo autem depulso signiores evadunt, jubens et aegros et sanos assidue in mente Dominum habere, dicit: Da gloriam Deo.

- Cur autem praecepit ut ostenderet se sacerdoti, et donum offerret?

Sed vade, ostende te sacerdoti, et offer munus quod praecepit Moyses, *Matth.*

8,4.

- Ut hic legem impleret; neque enim ubique solvebat illam, ut nec semper servabat; sed modo illud, modo aliud; illud ut futurae philosophiae viam pararet: istud ut impudentem interim Judaeorum linguam coerceret, et ad illorum infirmitatem se dimitteret.

Ecquid miraris, si in principio id egerit, quando et Apostoli, postquam jussi sunt ad gentes migrare et portas aperire ad doctrinam per totum orbem spargendam, legem excludere, praecepta renovare, vetera abrogare omnia, modo legem servare, modo illam transgredi deprehenduntur?

8108 - Et quid hoc, inquires, ad legis custodiam confert, quod dicat: Ostende te sacerdoti?

- Non parum confert. Erat quippe lex vetus, *Luc. 14,2*, ut leprosus mundatus ne sibi probandae mundationis auctoritatem arrogaret, sed se ostenderet sacerdoti, ipsiusque rei demonstrationem praeberet, ut ipsius calculo mundis annumeraretur; nisi enim sacerdos dixisset mundatum fuisse leprosum, is cum immundis extra castra mansisset.

Ideo dixit:

Ostende te sacerdoti, et offer munus quod praecepit Moyses, *8,4*.

Non dixit: quod praecepi ego; sed interim ad legem remittit, ut undique os illorum claudat; ne dicerent enim ipsum sibi sacerdotum honorem rapuisse, opus illorum claudat; ne dicerent enim ipsum sibi sacerdotum honorem rapuisse, opus ipse implevit, probationem ipsis remisit, et illos miraculorum suorum iudices constituit. Tantum abest, inquit, ut pugnem vel cum Moyse vel cum sacerdotibus, ut eos qui a me beneficio affecti sunt, mittam qui illis obtemperent.

- Quid porro illud est: in testimonium illis?

- In redargutionem, in accusationem, si non probe se gesserint.

8109 Quia enim dicebant: ut seductorem et deceptorem persequimur; ut Deo adversarium et legis transgressorem; nam postquam te curavi, te ad legem remitto atque ad sacerdotum probationem; id quod erat colentis legem, et Moysen honorantis, nec antiquis dogmatibus adversantis. Quod si nihil inde lucri percipere debebant, hinc maxime tamen discas quantum penes sit legis honor; quia cum praesciret illos nihil inde fructus percepturos esse, tamen quae penes se erant omnia implebat; nam hoc ipsum praesciebat et praedicebat. Neque enim dicebat: in emendationem eorum, neque in doctrinam eorum; sed: in testimonium illis, idest in accusationem, in confutationem et in testimonium quod tibi a me omnia facta sint.

8110 Cum praescirem eos sine emendatione mansuros, ne sic quidem quae facere oportebat omisi; illi vero in malitia sua perstiterunt. Hoc et alibi dicitur, *Matth. 24,14*: Et praedicabitur hoc evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus, et tunc veniet consummatio; gentibus scilicet non

obedientibus, non obtemperantibus. Nequis enim diceret: Cur omnibus praedicas, cum non omnes credituri sint? - Ut omnia mea, ait, praestitisse videar, et nemo me postea incusare possit quod non audierit; nam iposa praedicatio testimonium contra feret, nec poterunt postea dicere: non audivimus; nam sermo pietatis in fines orbis terrae progressus est.

8111

MEDITAZIONE 38.

Matth. 8,5: Cum autem introisset Capharnaum, accessit ad eum Centurio rogans eum, v. 6: et dicens: Domine, puer meus jacet in domo paralyticus, et male torquetur. v. 7: Et ait illi Jesus: Ego veniam et curabo eum. v. 8: Et respondens Centurio ait: Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum; sed tantum dic verbo, et sanabitur puer meus.

8112 - Leprosus quidem cum descendisset de monte accessit; hic vero centurio postquam intrasset in Capharnaum. Cur ergo neque hic neque ille in montem accesserunt?

- Non ob segnitiam: nam uterque fide ardebat; sed ne doctorem interpellarent.

Accedens autem dixit:

Matth. 8,6: Domine, puer meus jacet in domo paralyticus, et male torquetur. Puto signum esse magnae illius fidei, et multo majoris quam eorum qui per tectum demiserunt. Quia enim probe sciebat solo Domini praecepto jacentem surgere posse, superfluum putabat esse ipsum adducere. Quid igitur Jesus? Quod nusquam fecerat hic fecit; cum enim ubique supplicantium voluntatem sequeretur, hic prosilit; nec se curaturum tantum, sed domum quoque venturum pollicetur.

8113 Id vero facit ut Centurionis virtutem discamus; nisi enim hoc promisisset, sed dixisset: Vade, sanetur puer tuus, nihil horum cognosceremus. Idipsum etiam erga Phoenissam mulierem fecit, etsi contrario modo; hic enim nec vocatus in domum se esse venturum sponte dicit, ut discas Centurionis fidem, multamque humilitatem; in Phoenissa vero domum denegat, ipsamque perseverantem in dubium conjicit; nam cum sagax et peritus sit medicus, contraria contrariis elicere novit. Et hic quidem per spontaneum adventum, illic vero per diuturnam dilationem et repulsum, fidem mulieris aperit. Sic etiam erga Abrahamum fuerat. Gen. 18,17: Num celare potero Abraham quae gesturus sum? Ut discas illius amorem, et quantam de Sodomis providentiam gereret; et qui ad Lothum missi erant ingredi domum ejus nolunt, ut justi hospitalitatem edisceres, *Gen. 19,2*.

8114 Quid igitur ait Centurio?

Matth. 8,8: Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum.

Audiamus quotquot volumus Christum excipere, ut nunc etiam possumus. Au-

diamus et imitemur, ac cum pari studio illum excipiamus; cum tamen pauperem esurientem et nudum excipis, illum et excepisti et aluisti.

Sed tantum dic verbo, et sanabitur puer meus, *ibi*.

Vide Centurionem perinde atque leprosum veram de Christo habuisse opinionem; nam et ipse quoque non dixit: roga, non dixit: precare, supplica, sed tantum impera.

8115 Deinde, timens ne per modestiam renueret, dixit:

Matth. 8,9: Nam ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites; et dico huic: vade, et vadit; et alii: veni, et venit; et servo meo; fac hoc, et facit.

- Et quid inde, inquires, si Centurio sic suspicatus sit? Nam id quaeritur si hoc Christus protulerit et confirmaverit.

- Non solum approbavit et confirmavit, sicut cum leproso, imo amplius quid fecit; neque solum ejus dicta laudavit, sed et laudis sublimitatem indicans, evangelista dicit: eum admiratum esse; neque tantum admiratum, sed etiam omni praesente populo aliis exemplum dedisse, ut illum imitarentur.

8116 *Matth. 8,10*: Audiens autem Jesus, miratus est, et sequentibus se dixit: Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israel.

Ut autem contrario exemplo illud ediscas, quoniam Martha nihil horum dixerat, sed contrarium, Jo. 11,22: Quodcumque poposceris a Deo, dabit tibi, non modo non laudata est, etiamsi nota Christo esset, et ipsa admodum coleret eum; sed etiam ab ipso emendata fuit, ut quae non bene dixisset; nam dicebat illi, *ibi*, 11,40: Nonne dixi tibi, quoniam si credideris videbis gloriam Dei? sic illam reprehendens quasi nondum credidisset. Ac rursum quia dicebat: Quodcumque petieris a Deo, dabit tibi Deus, illam a tali opinione abducens, docensque sibi non opus esse ut ab alio acciperet sed esse se bonorum fontem dixit.

Ego sum resurrectio et vita, Jo. 11,25; idest, non ab alio operandi vim expecto, sed ex meipso omnia facio.

8117 Propterea Centurionem miratur, totique mundo ipsum anteponit, regni honore donat, aliosque ad eum imitandum provocat. Ut vero discas ipsum ideo haec dixisse ut ceteros ad fidem similem institueret, audi evangelistae diligentiam, quomodo nempe id ipsum subindicaverit:

Et sequentibus se dixit:... non inveni tantam fidem in Israel, *Matth. 8,10*.

Ergo magna de illo existimare, id maxime et fidem, et regnum coelorum, et alia bona conciliat. Neque enim verborum tenus ipsum laudavit, sed propter fidem ejus aegrum sibi sanum restituit, splendidamque ipsi nectit coronam, ac magna promittit dona his verbis:

8118 *Matth. 8,11*: Vade, et sicut credidisti fiat tibi.

Statimque ipsum opus subsequutum est, quod illius animum et voluntatem testi-

ficaretur:

Et sanatus est pure in illa hora, *ibi*.

Quod etiam in Syrophenissa contigit; nam ait illi, Matth. 15,28: O mulier, magna est fides tua: fiat tibi sicut vis. Et sanata est filia ejus ex illa hora.

Tu vero ne perfunctorie dicta ejus explora, sed praefecturam ejus adjice, et tunc viri virtutem perspicias. Etenim tantus vulgo est eorum qui praefecturas gerunt fastus, ut ne quidem in calamitatibus sese deprimant. Nam is qui, Jo. 4,49, memoratur, illud in domum trahit, et dicit: Descende priusquam moriatur filius meus. Hic vero non ita; sed tam illo quam iis qui per tectum lectulum dimiserunt, praestantior est; non enim corporalem praesentiam requirit, neque prope medicum aegrotum detulit, id quod tamen non parvam existimationem prae se ferret, sed ea quae Deum decebat opinione fultus, ait: Sed tantum dic verbo. Neque initio dixit: Dic verbo; sed aegrotudinem tantum declarat; ob magnam quippe humilitatem, non putabat Christum statim rem concessurum et domum petiturum esse, ideo cum ipsum audivit dicentem: Ego veniens curabo eum, 8,7, tunc ait: Dic verbo.

8119 Neque illum ita moeror turbavit, sed etiam in calimitate philosophatur, non tam respiciens ad pueri valetudinem, quam ne quid ipse minus decenter faceret; quamquam non ipse petebat, sed Christus sese obtulit; attamen sic quoque timuit ne ultra quam dignitas sua postularet, acciperet, neve rem gravem subiret.

Vidistin ejus prudentiam? Se omnino indignum dicebat esse non modo beneficii, sed etiam qui Christum domi reciperet. Quamobrem cum dixisset: Puer meus jacet, (non subjunxit) dic, metuens ne indignus esset tali dono; sed calamitatem solum declaravit; quia vero vidit Christum sese ad eundem parantem, nec sic quidem ille in rem oblatam insiluit, sed adhuc in gradu sibi congruenti mansit.

8120 Si quis vero dicat: Cur Christus illum non pariter honoravit? dixerim ego: magnum ipsi honorem retulit, primo quod animum pronamque voluntatem ostenderit, quae maxime apparuit quia ipse in domum ejus non venit; secundo quod illum in regnum introduxerit, eumque toti genti Judaicae proposuerit. Quia enim se indignum judicaverat qui Christum domi reciperet, etiam regno dignus effectus est, et eadem quae Abraham consequutus est bona.

Eratque profecto res magna, hominem qui extra Judaeorum catalogum erat, tanta de Christo cogitasse; nam, ut mihi videtur, supernos illos exercitus mente conceperat, morbosque, mortem, aliaque omnia ita Christo subjecta esse, ut milites sibi.

8121 Quamobrem dicebat:

Nam et ego hom sum sub potestate constitutus, hoc est: tu Deus, ego homo; ego sub potestate, tu non sub potestate. Si ego igitur homo, et sub potestate, tanta possum, multo magis ipse, qui et Deus est, et sub potestate non est. Vult enim ex

summa praeminentia hoc illi suadere, se non simile exemplum afferre, sed rei longe sublimioris; nam si ego, inquit, qui par subjectis sum et sub potestate constitutus, ob parvam tamen praefecturae auctoritatem, tanta possum, nemine repugnante, sed quae impero omnia diversa licet sint, exsequutioni mandantur, (huic dico: vade, et vadit; alii: veni et venit, 8,9) longe majora tu poteris.

8122 Tu vero consideres velim quomodo ostendat ipsum etiam morti, ut servo imperare, et praecipere ut dominum. Cum enim dicit: veni, et venit; etc. vade, et vadit, id significat: Si jusseris non venire mortem super eum, non veniet.

Viden' quam fidelis esset; quod enim omnibus postea clarum futurum erat, omnibusque notum, hic jam palam facit: ipsum nempe habere potestatem mortis et vitae, posseque ad portas mortis adducere ac reducere. Neque de militibus solum dixit, sed etiam de servis, quod majoris obsequentiae erat. Attamen tantam habens fidem se indignum putabat. Christus autem ostendens dignum illum esse cujus domum intraret, multo majora ei contulit, pluraque dans quam petierat. Venit enim corporis salutem petens, et accepto regno discessit. Viden' quomodo jam impletum est illud, Matth. 6,33: Quae primus regnum Dei... et haec omnia adjicientur vobis. Quia enim multam fidem et humilitatem exhibuerat, et coelum dedit, et pueri sanitatem adiecit.

8123

MEDITAZIONE 39.

Matth. 8,14: Et cum venisset Jesus in domum Petri, vidit socrum ejus jacentem et febricitantem, v. 15: et tetigit manum ejus, et dimisit eam febris, et surrexit, et ministrabat ei.

- Cur ingressus est in domum Petri?

- Mihi quidem videtur ut cibum sumeret, id quod significat cum ait: Surrexit, et ministrabat ei, 8,15. Nam apud discipulos divertebat ut et apud Matthaeum quando illum vocavit, honore illos afficiens ut studiosiores redderet.

8124 Tu vero mihi hic consideres velim Petri erga illum reverentiam. Cum enim socrum haberet domi jacentem et admodum febricitantem, non traxit eum domum sed expectavit donec doctrinae praedicatio absolveretur, ceterique omnes sanarentur, et tunc demum cum intrasset illum rogavit. Sic ab initio instruebatur ut res aliorum suis anteponeret, itaque non Petrus illum induxit sed sponte ipse intravit, postquam Centurio dixerat: Domine non sum dignus ut intres sub tectum meum, declarans quantum gratificaretur discipulo.

8125 Atqui consideres velim quales essent piscatorum horum aedes; attamen in illorum tuguria intrare non dedignatus est, quo nos doceret ut in omnibus fastum calcemus humanum. Et modo quidem verbis tantum sanat, modo manum porrigit,

modo utrumque praestat, medicinam ob oculos ponens; non enim volebat semper stupendo modo miracula edere; oportebat quippe interim latere, maxime praesentibus discipulis, qui ea nimio gaudio praedicassent. Illud vero hic palam est, quod postquam venisset in montem, praeciperet discipulis ne cui dicerent.

8126 Tetigit ergo corpus, neque modo febrim extinxit, sed et valetudinem plene restituit; quia enim levis erat morbus, ex medendi modo potentiam suam ostendit, id quod ars medicinae non fecisset. Scitis cessante febre, multo tempore opuas esse ut aegri in pristinam valetudinem restituantur; sed tunc omnia simul facta sunt, sicut et in mari, etc. *Matth. 8,23 sqq.* Et hoc declarans evangelista dicebat: Surrexit et ministrabat ei; quod Christi virtutis signum erat, nec non affectus mulieris quem erga Christum exhibuit.

8127 Aliud quoque hinc perspicimus, nempe aliorum fidei Christum aliorum curationem concedere; nam hic alii ipsum rogabant, ut etiam in puero Centurionis. Hujusmodi vero gratiam aliorum rogatu concedebat (dummodo is qui curabatur crederet) cum non poterat aeger ipsum convenire, vel cum propter ignorantiam non magnum quid sentiebat de Christo; vel cum aetas aegri immatura erat.

Matth. 8,16: Vespere autem facto obtulerunt ei multos daemonia habentes, et eiciebat spiritus verbo, et omnes male habentes curavit, v. 17: ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetam dicentem: Ipse infirmitates nostras accepit, et aegrotationes nostras portavit.

8128 Viden' multitudinis fidem deinceps adauctam; neque enim urgente licet tempore recedere volebant, neque intempestivum putabant si vespere aegrotos sua adducerent.

Tu vero mihi perpende quantam multitudinem eorum qui sanitatem acceperunt praetercurrant evangelistae, non singillatim recensentes sed uno verbo miraculorum pelagus immensum referentes. Deinde, ne miraculi magnitudo incredulitatem pareret, quod tantum populum tam variis affectum morbis, in momento temporis solverit et curaverit, rei testem adducit prophetam, magnam ubique ex Scripturis rerum praedicationem ostendens, signis non inferiorem.

8129 Haec, inquit, Isaias dicit, *53,4:*

Ipse infirmitates nostras accepit, et aegritudines nostras portavit.

Non dixit: solvit, sed: accepit... portavit; quod de peccatis potius mihi dictum a propheta videtur, quam de morbis, et cum Joannis dicto consonat, Jo. 1,29: Ecce Agnus Dei qui tollit peccatum mundi.

- Quomodo ergo idipsum de morbis hic ponit evangelista?

- Vel quod historico more et ad litteram hoc testimonium legat, vel ut ostendat plerosque morbos ex peccatis animae proficisci. Nam si mors quae caput est omnium, ex peccato originali originem; occasionemque habuit, multo magis aegritudines hinc ortae sunt. Quandoquidem hinc etiam evenit ut nos passibiles si-

mus.

8130 *Matth. 8,18*: Videns autem Jesus turbas multas circum se, jussit ire trans fretum.

Viden' rursus quam sit ab ostentatione alienus. Amovit turbas. Illud autem agebat tum ut nos institueret doceretque modestiam, tum ut invidiam sedaret judaicam, doceretque nihil ad ostentationem esse faciendum; non enim corpora tantum curabat, sed etiam emendabat animam, ipsamque ad philosophiam instituebat, sese utroque modo exhibens, et morbos admirationeque ducti, atque ipsum semper videre cupientes.

8131 Quis enim abscessisset dum ille tanta miracula patraret? Aut quis nolisset faciem et os talia loquentis aspicere? Neque enim ex prodigiis tantum admirandus, sed ipsius solum conspectus gratia multa plenus erat, id quod indicans propheta dicebat, Ps. 44,3: Speciosus forma prae filiis hominum. Quod si Isaias dicat, 53,2: Non habentem; speciem neque decorem, ea quae in passione festa sunt narrat, ignominiamque illam quam toto vitae tempore in omnibus exhibuit.

8132 Non autem prius transfretare jussit quam morbos curasset; alioquin non id ferre potuissent. Ut enim in monte non concionanti modo aderant, sed etiam silentem sequebantur, sic etiam nunc non miracula edendi tantum haerebant, sed etiam post edita signa, vel ex ejus vultu et conspectu ejus magnam carpebant utilitatem. Nam si Moyses gloria splendentem, Stephanus angelicum vultum habuit, cogita qualem tunc apparuisse communem Dominum verisimile est.

8133 Forte vero multi jam ejus videndae imaginis cupiditate incensi sunt, sed si velimus longe splendidiorem ipsa videbimus. Nam si cum fiducia et virtute vitam peragamus, in nubibus ipsum excipiemus, obviam illi venientes in immortalis et incorruptibili corpore. Perpende autem quam leniter ipsos amoveat, nec deterreat. Non enim dixit: Recedite, sed: Jussit ire trans fretum; spem faciens se illo trajecturum esse. Sic turbae quidem multum exhibebant amoris et cum affectu magno sequebantur.

8134

MEDITAZIONE 40.

Matth. 8,19: Et accedens unus scriba ait illi: Magister, sequar te quocumque ieris.

Unus autem pecuniarum servus, arrogantiaque plenus, accessit, ac dixit: Magister, sequar te quocumque ieris.

Vidistin' quanta arrogantia? Ac si non dignaretur se cum turba annumerare, seque ostentans quasi non in vulgi turba computandus, sic accessit. Tales sunt judaici mores, intempestiva pleni fiducia. Sic et alius postea, silentibus omnibus, in-

siliens ait, Matth. 22,36: Quod est primum mandatum?

8135 Attamen Dominus importunam libertatem non corripuit, ut nos ad hujusmodi homines ferendos institueret. Ideo non palam redarguit eos qui mala cotigarent, sed eorum opinioni respondet, ipsis solis confutationem inspiciendam relinquens, duplicemque ipsis parans utilitatem, ut nempe sciant se conscientiae secreta nosse, utque post datum indicium, illud adhuc lateat, dans locum ad resipiscendum, si velint. Id quod nunc etiam fecit. Hic enim multa signa videns, turbamque affluentem sperabat se ex tot miraculis ditandum esse, ideoque illum sequi cupiebat.

- Undenam hoc nobis patebit?

- Ex responsione Christi, qui non verbis loquentis, sed menti respondet.

Quid enim, inquit, an pecunias te collecturum speras si me sequaris? Annon vides mihi ne diversorium quidem esse quale ipsis avibus est?

8136 *Matth. 8,20*: Et dicit ei Jesus: Vulpes foceas habent, et volucres coeli nidos; filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.

Haec non repellentis erant, sed malum redarguentis, et potestatem dantis cum tali spe sequi, si vellet. Ut autem ejus nequitiam discas, vide quid faciat. His auditis et sic confutatus, non dixit: Ad sequentum paratus sum.

Alibi quoque saepe idipsum Christus facit; non aperte redarguit, sed ex responsione accedentium mentem aperit. Ac vide quantam nunc quoque moderationem ostendit; neque enim dicit: Habeo quidem sed despicio; verum dicit: Non habet: Filius hominis non habet ubi etc. Vidistin' quantam accuratorem cum indulgentia conjunctam ostendat?

8137 Alius quispiam dicebat:

Matth. 8,21: Alius autem de discipulis ejus ait illi: Domine, permitte me primum ire et sepelire patrem meum.

Viden' differentiam? Et quomodo impudens ille dicebat: Sequar te quocumque ieris, hic vero etsi rem sanctam petens, ait: permitte mihi?

Verum non permisit; sed quid ait:

Matth. 8,22: Jesus autem ait illi: Sequere me, et dimitte mortuos sepelire mortuos suos; ubique enim voluntatem inspiciebat.

- Sed cur, inquires, non permisit?

Quia erant qui hoc munus implerent, neque insepultus mansurus erat; atque hunc ex rebus magis necessariis avelli non opus erat.

8138 Cum dicit autem: mortuos suos, ostendit hunc non esse mortuum suum; nam hic, ut existimo, mortuus ex infidelium numero erat. Si porro juvenem miraris, quod pro re tam necessaria Jesum rogaverit, neque sponte abierit, multo magis mirare quod prohibitus manserit.

- Annon, inquires, ingrattissimi filii erat patris exequiis non interesse?

- Si id ex negligentia fecisset, ingrati animi futurum erat; si autem res magis necessaria instabat, improbitatis summae fuerit abjisse. Nam Jesus id prohibuit ipsis, non quod honorem juberet parentibus debitum contemnere, sed ut ostenderet nihil nobis aequae necessarium esse atque res coelestes, iisque summa cum diligentia esse incumbendum; nec vel tantillum differendum, etiamsi admodum urgentia videantur esse, ea quae alio trahunt. Quid enim magis necessarium quam sepelire patrem? Quid facilius? Neque enim multum temporis insumendum erat.

8139 Si porro non tantum temporis insumere licet, quantum ad sepeliendum patrem est necessarium, et si ne tantillo quidem tempore spiritualia relinquere tutum est, cogita quibus simus digni poenis, qui ea quae ad Christum spectant toto ferme tempore deserimus et necessariis vilissima anteponimus, nulla re urgente desides sumus. Inde porro doctrinae hujusce philosophiam mirari oportet, quod juvenem verbo Dei affixerit, ad haec etiam multis eripuerit malis, fletibus, luctui, aliisque inde sequentibus. Nam post sepulturam opus erat testamentum excutere, sortes haereditatis distribuere, et alia quae haec sequebantur omnia facere; sicque fluctibus alios fluctus excipientibus, procul a veritatis portu ille abductus fuisset.

8140 Ideo ipsum attrahit, et sibi jungit. Quod si adhuc miraris et aegre fers, quod prohibitus fuerit paterno adesse funeri, illud cogites velim, multos esse qui cum sciant quospiam molestius funera laturos esse, seu patris, seu matris, seu filii, seu alterius cujuscumque, non permittere ea ipsis nunciari, neque ipsos ad sepulchrum venire, neque ideo ipsos crudelitatis inhumanitatisve accusamus, et jure quidem: nam contra facere inhumanum esset, nempe sic affectos ad luctum deducere.

8141 Quod si propinquos ita lugere et animum àtteri malum est, longe pejus est a spiritualibus abduci verbis. Ideoque, Luc. 9,62, dicit: Nemo mittens manum suam ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei.

Nam longe melius est regnum praedicare, aliosque a morte retrahere, quam nihil juvantem mortuum sepelire, cum maxime supersunt alii qui possint hoc officium implere. Nihil igitur aliud inde discimus, quam quod ne minimum quidem temporis terere oporteat. Etiamsi sexcenta alia urgeant, spiritualia sunt semper ceteris vel maxime necessariis anteponenda.

8142 **MEDITAZIONE 41.**

Matth. 8,23: Et ascendente eo in naviculam, secuti sunt eum discipuli ejus. v. 24: Et ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus; ipse vero dormiebat.

Turbis itaque praemissis, discipulos secum assumpsit, ut futuri miraculi specta-

tores essent. Quemadmodum enim palestrae optimus magister ad utrumque illos exercebat, ut in malis imperterriti essent, et in honoribus modesti. Ne altum enim saperent quod missis aliis ipsos retinisset tempestatem permittit, tum ut hoc efficeret, tum ut eos ad ferendas fortiter aerumnas exerceret.

8143 Nam magna quidem erant priora signa, sed praesens signum non parvam quamdam exercitationem afferebat. Ideoque solus secum adducit discipulos: nam ubi miracula edebantur populum sinit adesse, ubi vero pericula et terrores, discipulos athletas nempe orbis, quos exercitaturus erat solos secum assumit.

Ipse vero dormiebat: (in puppi super cervical, Marc. 4,38) ostendens quam esset a fastu alienus, et ad magnam inde philosophiam nos instituens. Oborta itaque tempestate, cum fureret mare, illum excitant dicentes:

Matth. 8,25: Et accesserunt ad eum discipuli ejus, et suscitaverunt eum, dicentes: Domine, salva nos, perimus.

Ipse vero illos primum, deinde mare increpavit: v. 26: Et dicit eis Jesus: Quid timidi estis, modicae fidei? Tunc surgens imperavit ventis et mari, et facta est tranquillitas magna valde.

8144 Nam, ut dixi, exercitationis causa haec permittebantur, et figurae erant tentationum quae ipsos erant invasurae. Etenim postea saepe permisit eos in, graviores negotiorum procellas incidere, animumque ipsis indidit. Unde Paulus, dicebat, 2 Cor. 1,8: Non enim volumus ignorare vos fratres, de tribulatione nostra quae facta est in Asia, quoniam supra modum gravati sumus, supra virtutem, ita ut taederet nos etiam vivere. v. 9: Sed ipsi etc. v. 10: Qui de tantis periculis nos eripuit et eruit. Ut ostendat igitur fiducia uti oportere, etiamsi magni concitentur fluctus, ipsumque omnia utiliter dispensare, primum ipsos increpat.

8145 Nam quod turbati fuerint, id illis utile fuit, ut majus esse miraculum videretur, et perpetua servaretur rei memoria. Quando enim inexpectatum quidpiam futurum est, multa praeparantur servandae rei memoriae opportuna, ne editum postea miraculum in oblivionem veniat. Sic Moyses serpentem primo formidavit, nec modo formidavit; sed cum magno animi terrore, tuncque vidit stupendum illud prodigium; ita et discipuli, cum jam de salute ferme desperassent, tunc liberantur, ut periculum confessi, miraculi magnitudinem ediscerent. Ideoque dormit: Ipse vero dormiebat.

8146 Nam si vigilante illo id factum esset, vel non timuissent, vel non rogassent, vel non putassent posse illum id efficere. Ideo dormit, ut det timendi occasionem, et validiorem ipsis praesentium sensum efficeret. Neque enim quis perinde videt ea quae in alienis corporibus fiunt, atque ea quae in corpore suo. Quia igitur omnes videbant beneficio affectos fuisse, se vero nihil accepisse beneficii, quasi supini manebant. Neque enim claudi erant, vel alio affecti corporis vitio, oportebatque tamen illos beneficiorum sensu affici, tempestatem oriri

concedit, ut ea liberati clariorem beneficii sensum perciperent. Ideoque non praesentibus turbis id agit, ne ut modicae fidei damnarentur, sed solos emendat, et increpando prius mentis ipsorum quam aquarum tempestatem sedat, dicens:

Quid timidi estis, modicae fidei? 8,26.

8147 Simulque docet timorem non ab immissis tentationibus, sed ab animi infirmitate oriri. Quod si quis dixerit, non ex timore, vel ex modica fide motos, discipulos illum excitasse, respondebo illud maxime signum esse eos non congruentem de illo opinionem habuisse. Sciebant quidem ipsum expergefatum increpare posse, dormientem vero nondum putabant. Et quid miraris, si nunc timeant, quando post multa etiam alia miracula, infirmiores adhuc erant? Quapropter saepe increpantur, ut quando dicit:

Adhuc et vos sine intellectu estis? *Matth. 15,16.*

8148 Ne itaque mireris, cum discipuli tam imbecilles erant, si turbae nihil magnum de ipso opinabantur; mirabantur quippe dicentes: *Matth. 8,27:* Porro homines mirati sunt, dicentes: Qualis est hic, quia venti et mare obediunt ei?

Christus vero non corripuit eos, quod hominem esse ipsum dicerent; sed expectabat interim per miracula docens illos falsam hanc opinionem esse.

- Undenam hominem illum esse putabant?

- Ex aspectu, ex somno, quod navi uteretur; idcirco in stuporem conjiciebantur dicentes: Qualis est hic?

8149 Somnus quippe et quidpiam apparebat hominem indicabat: mare et parta tranquillitas Deum declarabat. Quamquam enim Moyses aliquid simile olim fecerat, vel hinc Christi eminentia declarabatur, quod ille ut servus, hic ut Dominus miracula patraret. Non enim virgam extendit ut ille, neque manus expandit versus coelum, neque precatione opus habuit, sed ut par est dominum ancillae, et creatorem opificio praecipere, sic illam sedavit et fraenavit, verbo et praecepto tantum; atque omnis subito soluta tempestatas est, nec vestigium procellae mansit.

8150 Illud enim declaravit evangelista dicens:

Et facta est tranquillitas magna, 8,26.

Quod de Patre quasi res grandis dicta fuerat, id ipse operibus exhibuit. Ps. 106,25: Dixit, et stetit spiritus procellae. Sic et hoc loco dixit: Et facta est tranquillitas magna. Propterea turbae illum summe admirabantur, quae non ita miratae fuissent si fecisset ut Moyses.

Postquam a mari discessisset, aliud terribilius miraculum subsequitur: daemoniaci enim, quemadmodum fugituri improbi, videntes Dominum dicebant:

8151 *Matth. 8,28:* Et cum venisset trans fretum, in regionem Gerasenorum, occurrerunt ei duo habentes daemonia, de monumentis exeuntes; saevi nimis, ita ut nemo posset transire per viam illam. v. 29: Et ecce clamaverunt dicentes: Qui nobis et tibi, Jesu fili Dei? Venisti huc ante tempus torquere nos?

Quia enim turbae ipsum hominem esse confitebantur, venerunt daemones divinitatem ejus praedicantes, et qui agitato posteaque sedato mari non audierant, daemones hoc clamantes audierunt, quod mare tranquillum factum praedicaverat. Deinde ne hoc per adulationem dictum videretur, ex rerum experimento clamant his verbis:

Venisti huc ante tempus torquere nos?

8152 Ideo prius inimicitiam fatentur, ne suspecta eorum supplicatio foret. Etenim invisibiliter verberantur, et plusquam mare fluctuant, confixi, combusti, atque ex tali praesentia intolerabilia patientes; quia enim daemones illos nemo offerre audebat, Christus illos adit.

Venisti huc ante tempus torquere nos? 8,29. Putabant enim jam instare sibi supplicium, et timebant quasi jam in tormenta demissi. Verba autem eorum immanitatem declarant. Venisti huc ante tempus torquere nos?

8153 Non poterant enim dicere se non peccasse; rogant vero ne ante tempus poenas luant; quia enim deprehendit eos intolerabilia et iniqua operatos, ac creaturas suas omni prorsus modo subvertentes et cruciantes, putabant eum ob facinorum atrocitatem non expectaturum esse supplicii tempus; idcirco rogabant et supplicabant; et qui ne ferreis quidem vinculis detineri poterant, ligati veniunt; qui montes percurrebant in campos exeunt; qui alios a transitu arcebant, cum illum viam sibi obstruentem viderent, steterunt.

8154 *Matth. 8,30*: Erat autem non longe ab illis grex multorum porcorum pascens. v. 31: Daemones autem rogabant eum dicentes: Si ejicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum. v. 32: Et ait illis: Ite. At illi exeuntes abierunt in porcos, et ecce impetu abiit totus grex per praeceptum in mare: et mortui sunt in aquis.

- Cur id quod petebant daemones Christus fecit?

- Non in gratiam illorum, sed ut multa sic dispensaret: primo, ut doceret eos qui a malignis hujusmodi tyrannis liberati essent, quantam perniciem afferrent insidiatores hujusmodi: secundo, ut discerent omnes daemones ne quidem porcos invadere posse, nisi ipse permiserit; tertio, ipsos graviora in homines quam in porcos perpetratos fuisse, nisi in calamitate per magnam illam Dei providentiam servati fuissent.

8155 Nam quod magis nos quam bruta animalia odio habeant, nulli non manifestum est; itaque qui porcis non pepercerunt, et in momento temporis omnes praecipitarunt, multo magis hominibus id fecissent, quos tenebant in desertum adducentes, nisi etiam in hac ipsa magna quam exercebant tyrannide, Dei cura illos fraenasset, et coercuisset ne perniciosiora facerent. Inde liquet neminem esse quin Dei providentia fruatur. Quod si non omnes uno eodemque modo, hoc quoque magnum providentiae genus est; nam ut cuique utile esse potest ratio providentiae accommodatur.

8156 Ad haec vero quae dicta sunt, aliud inde discimus, quod scilicet non tantum omnibus simul provideat, sed etiam singulis seorsum; quod etiam discipulis indicavit dicens: Vestri capilli capitis omnes numerati sunt. *Matth. 10,30*: Exque daemoniis id clare videre est, qui jam olim suffocati fuissent, nisi summe curante Deo servarentur; propterea permisit eos abire in gregem porcorum, ut qui regnantem incolebant, ejus potentiam discerent.

Matth. 8,33: Pastores autem fugerunt, et venientes in civitatem nuntiaverunt omnia, et de his qui daemonia habuerant.

Ubi namque nomen ipsius notum erat, ibi non se valde ostendebat; ubi vero nemo ipsum noverat, stolidusque populus erat, ibi magis miraculis fulgebat, ut illos ad divinitatis suae cognitionem pertraheret.

8157 Quod autem stolidi essent qui civitatem illam incolebant, ex iis quae in fine gesta sunt liquet; cum oportuisset enim illum adorare, ejusque potentiam mirari, illum repulerunt.

Matth. 8,34: Et ecce tota civitas exiit obviam Jesu, et viso eo rogabant ut transiret a finibus eorum.

Hic vero perpende ejus mansuetudinem cum potestate conjunctam. Cum enim regionis incolae tot ab eo acceptis beneficiis, illum ab se discedere cogerent, non restitit, sed discessit, eosque qui se doctrina ipsius indignos declarabant, reliquit, doctores assignans illis eos qui a daemonibus liberati fuerant, nec non subulcos, a quibus quaecumque gesta fuerant ediscere poterant.

Recedens porro ingentem ipsis timorem reliquit; damni quippe magnitudo rei gestae famam evulgabat, resque tanta ipsorum animos perculerat. Undique rumores afferebantur, haec gesta stupenda praedicantes, ab iis qui curati fuerant, a praecipitatis porcis, a porcorum dominis, a subulcis.

8158

- 1.- Elezione di Matteo
- 2.- A chi app.e la Chiesa
- 3.- Gesù e altri
- 4.- Se Iddio cessi di conserv.

8159 EPISTOLA AD ROMANOS

Tempo che fu scritta. Prima [S. Paolo scrisse] ai Tessalonicesi, ai Corinti, ai Galati, ai Romani; dipo' a' Filippesi, Ebrei, Filemone, Colossesi, Timoteo.

Cagioni di questa lettera: [Scrisse] per confermarli, emendarli, instruirli coll'utilità di questa lettera, e coll'aspettazione di sua venuta.

8160 1,1: Paulus:

- Perché non avendo Mosè, né i quattro Vangelisti premesso a' loro libri il proprio nome, egli lo premetta alle sue lettere?

- Perché egli scrive a lontani, e per modo di lettera.

- Perché lo taccia nella sua agli Ebrei?

- Ne, audito nomine peroso, a lectione abstinerent.

- Perché Dio gli abbia mutato il nome di Saulo?

- Ne inferior esset Apostolis, aequatus Petro, ut arctius coetui jungeretur.

8161 Servus Jesu Christi, *1,1*.

Servus a creatione: Servus meus Nabuchodonosor, Jer. 25,9.

a fide: Servi facti estis justitiae, *Rom. 6,18*.

a vitae instituto: Moyses servus meus. Jos. 1,2.

Dignitatis maxime loco, ponit: Jesu Christi. Auget dignitatem per nomina dispensationis, ascendens ad superiora.

Jesu: Hoc nomen venit de coelo, cum natus est.

Christus: Ab unctione Spiritus Sancti; quod et carnis erat.

8162 Vocatus Apostolus, *1,1*.

Vocatus: gratum animum exhibens, indicansque se non quaerentem invenisse, sed vocatum obedisse.

Vocatus Apostolus: Fideles appellat: Vocatos sanctos, *Rom. 1;7*; [quia] illi ad fidem [vocati sunt], hic ad apostolatam, dona omnia continens et superans. Quae Christus veniens fecit, demigrans Apostolis commisit. Pro Christo legatione fungimur: [seu] vice Ahristi, *2 Cor. 5,20*.

8163 Segregatus in Evangelium Dei, *1,1*.

Segregatus: Sicut in domo ad diversa ministeria singuli segregati sunt, sic in Ecclesia.

Non sorte, sed olim deputatum se innui videtur: Antequam exires de vulva sanctivicavi te, et prophetam in gentibus dedi te, Hier. 1,5.

8164 Mostra l'ordinazion divina per far credito alla sua lettera presso d'una città piena di fasto, cui scriveva.

In Evangelium Dei: Non ergo Matthaeus tantum et Marcus evangelistae, ut neque hic solus est apostolus, sed etiam illi; etsi per excellentiam hic Apostolus, illi evangelistae.

Evangelium: Non ob illata bona tantum, sed etiam ob futura.

8165 Evangelium Dei:

- Pater nonne notus erat?

- Judaeis tantum: neque omnibus ut par erat. Nesciebant ipsum esse "Patrem", et multa illo indigna imaginabantur. Venient veri adoratores, et Pater tales quaerit sui adoratores, *Jo. 4,23*. Demum ipse cum Filio orbi toti manifestatus est. Ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum, *Jo. 17,3*.

Ab initio erigit auditorem; non enim tristitia nuntiat ut prophetae, sed evangelia, et evangelia Dei.

8166 *1,2*: Quod certe promiserat per prophetas suos in Scripturis sanctis.

Promiserat: Dominus dabit verbum evangelizantibus virtute multa, *Ps. 67,12*. Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, *Rom. 10,15*. En nomen et modus [evangelizandi]: non verbo tantum, sed operibus; non enim humanum erat, sed divinum [evangelium], arcanum et supra naturam.

Ante... per prophetas suos: [Dicit hoc] quia novitatis accusabatur.

8167 - Cur non initio dedit [Deus evangelium]?

- In causa sunt hi qui noluerunt admittere illud; nam qui voluerunt audire, *Jo. 8,56*: Abraham pater vester exultavit ut videret diem meum: et vidit et gavisus est.

- Quomodo ergo *Matth. 13,17*: Multi prophetae et justi voluerunt videre quae vos videtis, et non viderunt?

- Ita scilicet ut videtis et auditis: ipsam carnem, ipsa signa oculis percepta.

8168 Cum Deus magna quaedam apparatus est, ea multo ante tempore praenuntiat, aures praeparans ad illa excipienda.

In Scripturis sanctis: Non tantum dicebant prophetae, sed scribebant, et per res figurabant; ut cum Abraham Isaac duceret, et Moyses serpentem exaltaret, manus extenderet adversus Amalec, et agnum paschalem immolaret.

8169 *1,3*: De Filio suo, qui natus est de semine David secundum carnem... In vulgata: factus est ei, ex semine...

Ex semine David: Post tam sublimia ad David descendit, nec tamen indigne: non enim de mero homine sermo est, unde adjecit:

Secundum carnem: subindicans etiam secundum spiritum generationem ejus esse.

8170 - Cur non ab ista sublimiori generatione incoepit?

- Hinc Matthaeus, Lucas et Marcus; non quod generatio secundum carnem prima sit, sed quia ad illam vult auditorem ducere. Ducturus ad coelum, ab inferioribus ad superiora necessario ducet; primo viderunt hominem in terra, et hinc intellexerunt esse Deum.

8171 *1,4*: Qui praedestinatus est Filius Dei in virtute secundum spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum, Jesu Christi Domini nostri.

Qui praedestinatus est (Chrysostomus legit "definitus") Filius Dei: [idest] ostensus, declaratus, indicatus, confessus omnium iudicio et calculo, a prophetis: Quod ante promiserat per prophetas suos, v. 2: ab inspectato ortu secundum carnem: Ex semine David secundum carnem, v. 3: a potentia signorum: in virtute, v. 4: a spiritu, per quem sanctificationem dedit: Secundum spiritum sanctificationis, *ibi*, a resurrectione, qua mortis tyrannidem solvit: Ex resurrectione mortuorum, *ibi*. Jo. 2,19: Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud. *Ibi*, 8,28: Cum exaltaveritis me de terra, tunc cognoscetis quia ego sum. Matth. 12,39: Generatio haec signum quaerit, et signum non dabitur ei nisi signum Jonae.

8172 *1,5*: Per quem accepimus gratiam et apostolatam, ad obediendum fidei, in omnibus gentibus pro nomine ejus.

Per quem accepimus: Gratus famulus omnia Domino refert; a Christo accepisse asserit. Ipse Christus dedit Spiritum. Jo. 16,12 *sq*: Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Qui Spiritus, Act. 13,12, dixit: Segregate mihi Paulum et Barnabam.

8173 Ea quae sunt Filii sunt etiam Spiritus: et quae Spiritus, Filii. Quae nunc Paulus Filio, alibi Spiritui Sancto tribuit. 1 Cor. 1 12,8: Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiae, alii autem sermo scientiae; et ipse omnia dividit. Act. 20,28: In quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos.

Gratiam et apostolatam: Non opere et labore, sed superno dono gratiam accepimus et hoc munus.

8174 Ad obedientiam fidei: Non ergo Apostoli haec efficiebant; sed praeveniens illos gratia; illorum erat circuire et praedicare: persuadere autem Dei erat in illis operantis. Luc. 24,45: Aperuit cor ipsorum, *ibi* 8,10: quibus datum erat audire verbum Dei.

Ad obediendum (Chrysostomus: in obedientiam): Non in perquisitionem vel in argumentum; non missi sumus ut syllogismos afferamus, sed ut quod accepimus reddamus. Cum enim Dominus aliquid pronuntiat, non debent auditores curiose scrutari vel indagare, sed solum accipere. Nam Apostoli ideo missi sunt ut quae

audierunt dicant, non ut aliquid de suo addant: et nos, solum ut credamus.

8175 Quid credamus?

Pro nomine ejus: ([Chrysostomus] de nomine ejus): Non ut de substantia ejus curiose perquiramus, sed in nomen ejus credamus; illud enim signa faciebat: In nomine Jesu Christi, surge et ambula, *Act. 3,6*; et in hoc fide opus est, nihilque eorum ratiocinio capere possumus.

8176 In omnibus gentibus: Paulus ab Hierosolymis ad Illyricum, indeque ad extrema terrae, ad omnes pervenit simul cum duodecim Apostolis et discipulis: ipse solus fervore et doctrina, etiam post mortem. Extollit donum. Vetera [dona] gentem unam spectabant: hoc terram et mare attraxit.

8177 Paulus expers adulationis, Romanis non plus concedit quam ceteris gentibus; unde ait: *1,6*: In quibus estis vos vocati Jesu Christi. Non alii vobiscum, sed vos cum aliis. In Christo Jesu non est servus, neque liber; et vos vocati estis, non sponte accepistis: [ita] illorum fastum et superbiam deprimit.

8178 *1,7*: Omnibus qui sunt Romae, dilectis Dei, vocatis sanctis: gratia vobis et pax a Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo.

Omnibus... vocatis etc. Gratia... et pax, etc.: Frequenter "vocati" nomen usurpat: Vocatus Apostolus, *v. 1*: in quibus estis et vos vocati, *v. 6*: omnibus qui sunt Romae vocatis, *v. 7*: ut illis beneficium in memoriam revocet. Dignitatum inaequalitatem tollit, omnibus unam mittens compellationem. Stultum enim [est] a terrenis negotiis distinguere quas Deus pares fecit in majoribus, quae sunt caritas Dei, vocatio, evangelium, adoptio, gratia, pax, sanctificatio etc. Gravem ab initio depellens morbum, in humilitatem inducit, matrem bonorum omnium.

8179 Hoc servos meliores efficiebat, quod ediscerent nihilsibi damni ex servitute, cum vera libertate fruerentur; hoc dominos instituebat, cum edocerentur nihil sibi emolumentum a libertate, nisi quae fidem spectabant praecederent. Non confusionem inducit, sed optimam distinctionem novit; non enim simpliciter [dicit]: Omnibus qui Romae estis: sed cum distinctione: Dilectis Dei. Optima distinctio; ostendit unde sit sanctificatio: a dilectione; cum dixisset enim: dilectis Dei, subjungit: Vocatis sanctis. Dilectio Dei fons [est] bonorum omnium. Sanctos vocat fideles omnes.

8180 Gratia vobis et pax: Salutatio innumera afferens bona. Paulus sic ubique orditur: a gratia et pace. Christus Apostolos in domos intrantes, primo pronuntiare haec jubet, *Matth. 10,12*. Christus non modicum perfecit bellum, sed varium et omnimodum et diuturnum: idque non ex laboribus nostris, sed per gratiam suam. Quoniam dilectio gratiam, gratia pacem dedit, haec manere perpetua [Paulus] praecatur a Datore.

8181 A Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo: "A" [illud] commune [aliquid indicat] Patri et Filio: [quasi diceret]: ex quo; non dixit: A Patre per

Dominum Jesum. Quantum potuit Dei dilectio! Inimici et reprobi, repente sancti et filii sunt effecti; cum enim Patrem vocat, filios indicat; cum filios dicit, omnem bonorum thesaurum revelat.

8182 1,8: Primum quidem gratias ago Deo meo per Jesum Christum, pro omnibus vobis, quia fides vestra annuntiatur in universo mundo.

Primum quidem gratias ago Deo: Operum et sermonum bonorum, initia Deo [sunt] offerenda.

Pro omnibus vobis: Nec solum, sed etiam pro alienis recte factis gratiae agenda [sunt]; quod animam et livore vacuum et puram reddit, Deique majorem benevolentiam gratias agentibus attrahit. Eph. 1,3: Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali.

8183 Gratiae agenda [sunt] etiam in adversis, [quia] patientiae et grati animi significatio, accepta admodum est, [ut appareret] ab exemplo Job.

- De quo Paulus gratias agat?

- Non de imperio, de potentia, de gloria: haec nihil habenda sunt; sed de iis quae vere bona sunt: de fide, de loquendi libertate. Quanto cum affectu!

Non dixit: Deo, sed Deo meo: quod et prophetae faciunt, id quod commune est sibi vindicantes. Deus erga servos suos idipsum facit, se Deum Abraham, Deum Isaac et Jacob seorsim dicens, *Ex. 3,6-15-16*.

8184 Quia fides vestra annuntiatur in universo mundo.

In universo mundo: Non enim obscura urbs erat, sed quasi in quodam culmine sita. [Quanta fuit] vis praedicationis! Brevi tempore, publicanorum et piscatorum ep... (?) urbium caput invasit, ac Syri homines Romanorum doctores praeceptoresque fuerunt.

Duo ipsis recte facta testificantur: quod crediderint, quod cum fiducia crediderint; et quidem tanta ut rei fama per totum volaret orbem.

"Fides" vestra: Non disceptationes, non quaestiones, non syllogismi.

8185 Multa illic erant impedimenta doctrinae. Romani qui nuper imperium orbis adepti erant altum sapiebant, in divitiis ac voluptatibus vitam agentes; praedicationem vero afferebant piscatores Judaei, et ex Judaeis orti; quae gens invisita et execranda omnibus erat; et crucifixum adorare jubebant, qui in Judaea educatus fuerat. Hac cum doctrina vitam duram praescribebant doctores, hominibus voluptati deditis, et ad praesentia solum inhiantibus. Ad haec, qui ista nunciabant pauperes erant, idiotae, ignobiles, ex ignobilibus orti. At horum nihil verbi cursum impedivit. Tanta erat Crucifixi potentia, ut verbum undique spargeret. Unde ait:

8186 Annuntiatur. Non dicit: manifestatur, sed annuntiatur; ac si omnes in ore ferrent. 1 Thess. 1,8: A vobis... diffamatus est sermo Domini, ita ut non sit nobis necesse quidquam loqui. Discipuli enim, in doctorum gradu, cum fiducia loquendi,

omnes instituebant et ad se trahebant. Hoc autem loco, solum dicitur: quod annuntiatur, ostendens nihil addendum dictis esse, nihil demendum; nuntii enim hoc opus est: ut ea solum quae dicta sunt afferat. Sacerdos, nuntius seu angelus vocatur, quia non sua, sed ea quae mittentis sunt annuntiat.

8187 Atqui Petrus illic praedicavit: sed ipsius acta, sua esse ducit, sic ab invidia omnimoda liber.

1,9: Testis enim mihi est Deus, cui servio in spiritu meo, in Evangelio Filii ejus, quod sine intermissione memoriam vestri facio, v. 10: semper in orationibus meis obsecrans, si quo modo tandem prosperum iter habeam in voluntate Dei veniendi ad vos. v. 11: Desidero enim videre vos.

8188 Testis enim mihi est Deus: Ex apostolicis visceribus paternae curae [haec est] sententia. De quo appellat Deum testem? De affectu sermo erat, nam gratias agebat etc. Nunc signum affert amoris, de quo et testem Deum appellat, quod frequenter precaretur, et quod vellet ipsos adire. Qua de causa? Quia nondum illos viderat; ideo nullum homine, sed eum qui in corda penetrat vocavit testem.

8189 Domi precantibus memoria facienda est plenitudinis Ecclesiae. Paulus non pro una civitate, sed pro toto orbe Deum precabatur: idque non semel, non bis, non ter, sed assidue. Hoc non nisi ex magnitudine caritatis, affectus, amoris fit.

Cui servitio in spiritu meo, in Evangelio Filii ejus, *1,9*.

Cui servitio in spiritu meo: Dei gratiam exhibet, quod tantam rem ipsi commiserit; humilitatem suam, quia non studio suo; sed Spiritus auxilio totum adscribit.

8190 In Evangelio: Ministerii genus indicat. Multi et diversi sunt ministerii modi: cultusque similiter. Quemadmodum apud reges, omnes sub uno sunt Principe, sed non idem omnes ministerium exercent, sic et in spiritualibus: alius per fidem Deum colit, ipsique servit vitamque suam recte instituit; alius hospites excipit; alius inopum curam gerit, ut Stephanus; alius per doctrinam verbi, ut Paulus, qui in praedicatione Evangelii Deo serviebat; et hic erat ipsius servitutis modus: hoc enim ipsi commissum fuerat.

8191 - Cur hic ministerii sibi commissi mentionem faciat?

- Declarat se cui talia commissa fuerant, committentem sibi in testem pro re falsa nunquam vocaturum fuisse. [Item] ne dicerent: Tu quis es, et unde civitatis tantae curam suscipere dicit? ostendit illam suam sollicitudinem necessariam esse, nam is cui Evangelium commissum est, necessario debet eos qui illud suscepturi sunt, semper in mente habere.

8192 In spiritu meo: Quia longe sublimior erat haec religio quam gentilis et Judaica. Gentilis et erronea et carnalis erat; Judaica vera quidem, sed carnalis et ipsa erat. Ecclesiae porro cultus gentili contrarius, Judaico autem longe sublimior est; non enim oves, vitulos, fumum et nidorem adhibet, sed per animam spiritua-

lem fit. Jo. 4,24: Spiritus st Deus, et eos qui illum adorant in spiritu et veritate adorare oportet.

8193 In Evangelio Filii ejus: Superius dixit, *1,1*: Evangelium Patris esse: segregatus in Evangelium Dei; ita indifferenter Filii et Patris esse dicitur.

Jo. 17,10: Et mea omnia tua sunt, et tua mea sunt.

Quod sine intermissione memoriam vestri facio semper in orationibus meis: *1,9 sq.* Hoc germanae caritatis est. Quattuor ponit: Quod memor sit; quod indesinenter; quod in precibus; quodque pro magnis rebus precetur.

Obsecrans si quo modo tantem prosperum iter habeam, in voluntate Dei veniendi ad vos. Desidero enim videre vos. *1,10 sq.*

8194 Viden' summe optantem illos videre, neque id facere praeter Dei placitum volentem. Amorem Dei timore mixtum gerebat; amabat illos et ad illos festinabat, sed licet amaret, non praeter Dei placitum videre cupiebat. Haec est germana caritas. Non sicut nos, qui utrinque a caritatis legibus excidimus; nam vel neminem amamus, vel si amemus, id praeter Dei placitum facimus, quando Christum fame tabescentem despiciamus, filiis autem, amicis, cognatis, plusquam necesse est elargimur; sic pluribus in rebus aliis. At paulus amare, et ut par est amare sciebat, atque etsi omnes in amore vinceret, caritatis tamen modum non transgrediebatur.

8195 Vide utrumque eximie in illo abundare: et Dei timorem, et Romanorum dilectionem, quod indesinenter precaretur et, re non impetrata, non tamen desisteret, ardentis amoris erat; quoque amando persisteret Dei nutui obsequens, summae pietatis erat. Alibi etiam, 2 Cor. 12,8, cum ter Dominum rogasset, nec impetrasset, imo contrarium sibi accidisset, gratias egit maximas quod repulsam tulisset. Sic ille in omnibus ad Deum se convertebat. Hic autem accepit quidem, sed non quando petebat, sed tardius, nec moleste tulit. Non aegre feramus nos quando non exaudimur, vel cum tardius exaudimur: non enim sumus Paulo meliores, qui de utroque gratias egit, et quidem jure merito. Quia enim manui omnia gubernanti se semel dederat, et cum tanta subjectione quanta lutum figulo, *Rom. 9,21 sqq.*, quo ducebat Deus illo sequebatur.

8196 Cum dixisset ergo precari se ut illos videret, causam desiderii affert:

1,11: Ut aliquid impertiar vobis gratiae spiritualis, ad confirmandos vos.

Non sine causa, ut multi jam superfluas inutilesque peregrinationes nesciunt, illo se conferre volebat, sed pro necessariis urgentibusque negotiis; id quod ille clare non enuntiat, sed aenigmatice. Neque enim dixit: Ut doceam vos, ut institutam, ut quod deest impleam, sed: ut aliquid impertiar.

8197 Impertiat: indicans se non sua dare illis, sed quae accepit tradere. Hic etiam modeste loquitur cum dicit: ut aliquid. Paululum, inquit, et secundum meum modulum. Et quidnam est illud paululum quod jam daturus est?

Gratiae spiritualis ad confirmandos vos: Ergo et gratia illud est non vacillare,

sed firmiter stare. Gratiae: [quo verbo] non excluditur merces illa ex proposito voluntatis. Non quod propositi laborem reprobet, sed ut arrogantiae fastum succidat. Ne itaque animo concidas quia illud gratiam vocat; grati enim animi causa, solet recte facta gratiam vocare, quia in hisce nos multa egemus superna gratia.

8198 Ad confirmandos vos: Latenter indicat egere illos magna correctione. Hoc enim vult significare: A multo tempore desiderabam, et in optato habebam vos videre, non alia de causa quam ut vos confirmarem, et probe stabilirem in timore Dei, ut ne perpetuo vacilletis. At non ita dixit: sic enim illos perstrinxisset; sed alio modo remissiusque idipsum significat. Deinde quia valde illud modestum erat vide quomodo per ea quae addet illud mitigat. Ne dicerent enim: Quid ergo? An vacillamus? an circumagimur, et tua egemus lingua ut firmiter stemus? Hanc praevertit objectionem, his verbis:

8199 *1,12*: Idest simul consolari in vobis, per eam quae invicem est fidem; vestram atque meam.

Ne suspicemini me accusandi causa id vobis dixisse. Non hoc mente sequutus sum. Sed quid volui dicere? Multas passi estis aerumnas ab his qui vos persecuti sunt; vos ergo videre desideravi ut consolarer; imo potius non ut consolarer tantum, sed etiam ut ipse consolationem acciperem.

8200 [Admirabilis] sapientia doctoris! Dixit: ad confirmandos vos; noverat grave esse et onerosum discipulis, et addit: consolari, ad consolandum vos. Sed illud quoque molestum erat, non perinde tamen ut illud prius; asperitatem itaque mitigat, ut sermonem reddat acceptum: Simul consolari.

Neque id illi satis fuit; sed et illam mitigationem addidit:

8201 Per eam quae invicem est, fidem vestram atque meam, *1,12*.

Quanta humilitas! Seipsum his egere indicavit, seque illis indigere, nec illos solum ipso opus habere; atque discipulos magistrorum loco habuit, nullam sibi praerogativam relinquens; sed aequalitatem magis ostendit: Communis est utilitas: consolatione egemus, ego vestra, vos mea.

8202 Quomodo hoc? Per mutuam fidem. Quemadmodum si quis multas simul accendat lucernas, splendidam edit flammam, sic apud fideles evenire solet. Cum disjuncti et dispersi sumus animo minus valemus; quando autem nos mutuo conspiciamus, et quasi membris nos complectimur, multam accipimus consolationem. Ne mihi autem praesens tempus illi conferas, quo per Dei gratiam in vicis, in urbibus, in ipsoque deserto multi sunt credentium coetus, omnisque inde expulsa est impietas: sed illud cogita tempus, quam optandum tunc esset magistro videre discipulos, et fratres alia ex urbe advenientes conspiciere. Si contingeret nos translatos in Persidem, aut Scithiam, barbarorum aliorum dispergi binos vel ternos in illis urbibus, deindeque aliquem ex iis locis venientem de repente videre, cogita quanta repleremur consolatione.

8203 Annon videtis eos qui in carceribus sunt, si quem familiarium viderint, exurgere, et prae gaudio exilire? Si porro captivitati et carceri illa tempora conferam, ne mireris: longe enim graviora patiebantur illi, dispersi, pulsi, in fame et bellis viventes, quotidianas mortes timentes, amicos, familiares, cognatos suspectos habentes, orbem terrarum quasi extraneum sibi incolentes; imo graviori in statu versantes, quam ii qui in aliena terra degunt. Ideo ait:

8204 Ad confirmandos vos... per eam quae invicem est fidem, v. 12.

Non quasi eorum commilitio ipse opus haberet: absit. Quomodo enim Ecclesiae columna ferro et petra fortior, spiritualis ille adamas, qui innumeris sufficebat civitatibus, illis egeret? Sic autem dicebat ne molestus sermo aut correctio vehementior, vel quia consolatione et laetitia, ex fide et incremento illorum orta, opus habebat Paulus.

8205 - Si desideras et optas, consolationemque accepturus daturusque es, quid impedit quominus venias? Hanc solvit objectionem, addens:

1,13: Nolo autem vos ignorare, fratres, quia saepe proposui venire ad vos, et prohibitus sum usque adhuc.

8206 Vide servilis obedientiae modum, et admodum grati animi significationem: "Quod prohibitus sit, ait; qua de causa, non item. Neque enim examinat Domini mandatum, sed obsequitur tantum; quamquam par erat dubitare cur tantam, tam splendidam urbem ad quam totius orbis oculi convertebantur, quominus doctore tanto frueretur, tamdiu impediret Deus. Nam qui imperantem urbem vicit, subditos ejus facile invadit; qui autem, illa dimissa, subditis incumbit, ille caput negligit.

8207 At nihil horum Paulus curiose indagat, sed incomprehensibili providentiae cedit, tum animi sui moderationem ostendens, tum erudiens nos omnes, ne unquam a Deo gestorum rationem repetamus, etiamsi multos turbare videantur. Nam Domini tantum est imperare: servorum obsequi. Neque ego novi, inquit: ne m igitur interroges quae sit voluntas aut sententia Dei. Neque enim figmentum opifici dicit: - Cur me ita fecisti?

8208 - Cur, quaeso, id edissere cupis? An nescis illum omnium curam habere, sapientem esse, nihil sine causa aut temere fecisse; quod te plusquam parentes tui amet, quod patris erga te affectum, matrisque curam longe superet. Nihil ergo ultra quaeras, nec ulterius procedas: haec quippe tibi ad consolationem satis sunt. Siquidem et tunc res Romanorum sapienter regebantur. Quod si modum ignoras, ne id aegre feras; illud enim maxime ad fidem pertinet, si is qui oeconomiae modum ignorat, providentiae tamen rationem admittat.

8209 Ostendere vult suum amorem, removendo suspicionem contemptus; [nam] dicit: Prohibitus sum; et: maxime cupiens; [et] segnitiei, suadens se non minore desiderio teneri quam illos. Aliis modis amorem suum sostendit; neque enim, quia

impeditus sum, inquit, a conatu destiti sed semper tentatiam, semper prohibetur; nec unquam destiti, voluntati quidem Dei non resistens, et caritatem servans.

8210 Ut aliquem fructum habeam et in vobis, sicut et in ceteris gentibus, *1,13*.

Denuo causam desiderii affert, illorum suspensionem admodum corrigens. Quia conspicua urbs erat, atque ejus tantum videndae desiderio permoti, multi illo commigrarent, ne quid simile de Paulo etiam opinarentur, neve suspicarentur ideo illorum conspectum desiderare Paulum, quod ex illorum consortio se clariorem fore putaret, frequenter desiderii causam apponit. Et supra [dixit]: ut aliquid impertiar vobis gratiae spiritualis, *v. 11*; hic clarius: ut aliquem fructum habeam et in vobis, sicut et in ceteris gentibus, *1,13*.

8211 Principes cum subditis annumerat. Post mille trophaea, victorias, post consulum claritatem, cum barbaris ponit illos; nam ubi fidei nobilitas est, nemo barbarus, nemo grecus, nemo peregrinus, nemo civis; sed in unum dignitatis fastigium omnes ascendunt.

Vide illum hic modestius agentem; non dixit [enim]: ut doceam et instituum, sed: ut aliquem fructum habeam. Non simpliciter "fructum", sed "aliquem"; rursum ea quae se spectant comprimens (ut supra: ut aliquid impertiar, *v. 11*). Deinde et illos comprimens [addit]: Sicut et in ceteris gentibus. Non enim quia divites estis et plusquam ceteri habetis, minus erga reliquos studium adhibeo. Non divites quaerimus, sed fideles.

8212 Ubi nunc sunt sapientes illi graecorum, densas habentes barbas, palliis amicti et magnopere tumescentes? Graeciam et barbarorum terram omnem tentoriorum artifex convertit. Ille vero qui apud illos proponitur et circumfertur Plato, ter in Siciliam profectus, cum tanto illo verborum fastu, cum illa tanta quam de ipso habebant opinione, ne unum quidem tyrannum superavit; imo tam misere ille elapsus est, ut etiam a libertate exciderit.

8213 At tentoriorum artifex, non Siciliam modo, non Italiam tantum, sed totum peragravit orbem; ac neque dum praedicaret artem intermisit, sed etiam tunc pelles consuebat et officinae praeerat. Neque illud consularibus offendiculo fuit, idque jure merito: non enim artes ac studia, sed mendacia et conficta dogmata despiciabiles reddunt doctores. Ideoque quidem jam derident Athenienses; huic vero attendunt barbari, inculti homines, et idiotae.

8214 Communis quippe doctrina prostat: non dignitatis discrimen novit, non gentis excellentiam etc. fide namque tantum eget, non syllogismis; ideoque maxime admiranda est, non modo quod utilis et salutaris sit, sed etiam quia facilis, et ab omnibus nullo negotio excipitur: id quod maxime Dei providentiae opus est, qui sua omnibus communia proponit. Nam quod in sole, luna, terra, mari ceterisque fecit, non plura ex illis tribuens divitibus et sapientibus, nec pauciora pauperibus, sed aequalem omnibus usufructum proponens, hoc et in praedicatione fecit,

imo multo majus, quoniam hoc magis necessarium quam illa est.

8215 Deinde ostendens se nihil illis largiri, sed praeceptum Domini implere, et remittens illos ad reddendas Deo universorum gratias, ait:

1,14: Graecis et barbaris, sapientibus et insipientibus debitor sum.

Quod ad Corinthios etiam scribens ita dicebat, omnia Deo attribuens, *1 Cor. 9,16 sqq.*

1, 15: Ita, quod est in me, promptum est et vobis qui Romae estis evangelizare.

8216 O generosam animam! Rem tot periculis plenam suscipiens, marinam peregrinationem, tentationes, insidias, seditiones (nam in tanta urbe concionanti, sub impietatis tyrannide posit, tentationum grandines expectandae erant: sic et in ista urbe vitam clausit, jussu tyranni tunc regnantis capite truncatus) attamen cum tot tantaque se passurum expectaret, non ideo segnior reddebatur, sed festinabat, paraturiebat, promptus erat.

8217 *1,16*: Non enim erubesco Evangelium.

- Cur, cum oporteret dicere: "Glorior, mihi gratulor", non hoc dicit, sed quod illo minus est: "Non erubesco", il quod in rebus insignibus dicere non solemus? (Etsi Paulus ipse magis de Evangelio quam de coelo gloriatur: Gal. 6,14: Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi).

8218 - Romani ad res hujus mundi inhiabant, ob divitias, ob imperium, ob victorias, ob imperatores, quos diis pares existimabant, sicque illos vocabant, unde et templis, et aris et sacrificiis illos colebant. Cum igitur ita fastu pleni essent, et Paulus praedicaturus esset Jesum, qui fabri filius esse putabatur, in Judaea natus et in domo tenuis mulieris educatus fuerat; qui satellites non habuerat, non divitias, sed etiam et damnatus mortuus fuerat cum latronibus, multasque alias ignominias passus fuerat, ac verisimile erat Romanos tunc pudore suffusos fuisse, cum nihil dum scirent rerum arcanarum et magnarum, ideo ait: Non erubesco, illos interim docens ne erubescerent.

8219 Sciebat enim eos, si id tandem assequerentur, cito eousque perventuros esse ut gloriarentur. Et tu igitur, si audieris quempiam dicentem: Crucifixumne adoras? ne erubescas, nec oculos demittas; imo gloriare et tibi gratulare, liberisque oculis et erecta facie confessionem admitte. Si rursus dixerit: Crucifixumne adoras? responde illi: Sed non moechum, non parricidam, non filiorum interfectorem, (tales sunt enim omnes illorum dii); sed eum qui per crucem daemonibus ora obsruit, atque innumeras illorum praestigias abstulit. Etenim crux propter nos ineffabilis

benignitatis opus, magnaeque curae symbolum est.

8220 Ad haec, quia eloquentiam suam venditant, et externa philosophia muniti altum sapiunt, Ego, inquit Paulus, his syllogismis longum valere jussis, crucem praedicatum venio, neque ideo erubesco:

Virtus enim est in salutem, *1,16*.

Virtus Dei [est] etiam ad poenam inferendam [sicut visum est] dum puniret Aegyptios; est etiam ad exitium: Matth. 10,28: Timete eum qui potest et animam et corpus perdere in gehennam; ideo ait: Haec veniens affero non quae ad poenam et supplicium, se quae [sunt] ad salutem.

8221 - Sed Evangelium etiam annuntiat de gehenna, de tenebris exterioribus, de verme venenato: atqui non aliunde haec novimus nisi ex Evangelio. Quomodo ergo, inquires, "virtus Dei ad salutem"?

- Audi sequentia: Omni credenti: Judaeo primum et Graeco, *1,16*.

Credenti: Non enim omnibus, sed suscipientibus. Etiam si enim Graecus, sive gentilis fueris, etiam si nequitiam omnem adieris, etsi Scitha, barbarus, imo fera fueris, ratione omnino destitutus et mille peccatorum sarcinis onustus, simul atque sermonem de cruce suscepisti et baptizatus es, omnia illa delevisti.

8222 Judaeo primum et Graeco:

"Primum" est ordinis solum; est nominis honor, non gratia major. Postquam dixit: ad salutem, rursus auget donum, ostendens non praesentis temporis solum esse, sed ulterius progredi.

1,17: Justitia enim Dei in eo revelatur ex fide in fidem, sicut scriptum est: justus autem ex fide vivit. (Chrysostomus: vivet).

8223 Qui ergo justus effectus est, non in praesenti solum saeculo, sed et in futuro vivet. Neque hoc solum, sed et aliud subindicat: hujusmodi [scilicet] vitae splendorem et claritatem. Quia enim potest quis cum dedecore servari, ut multi ex regia clementia a supplicio eripiuntur, ut ne quis "salutem" audiens hoc suspiceretur, addit:

Justitia. Et justitiam non tuam sed "Dei", ejus largitatem et facilitatem subindicans; neque enim ex labore et sudore illam perficis, sed ex superno dono illam accipis, hoc unum ex teipso afferens: quod credas.

8224 Deinde, quia vix credibilis sermo videtur esse quod moechus, mollis, sepulchrorum effossor, praestigiator, confestim non modo a supplicio eripiatur, sed etiam justus fiat, et justus suprema justitia, a veteri testamento sermonem confirmat, ac primo quidem brevi dicto immensum historiarum pelagus intueri valenti, aperit. Cum dixisset enim: ex fide in fidem, auditorem remisit ad oeconomias illas a Deo in veteri testamento factas, quae ad Hebraeos scribens cum multa sapientia enarrat; atque etiam tunc et justos et peccatores justificatos ostendit, unde Rahab et Abraham memoravit. Postea autem, cum hic solum ed subindicasset, nam ad aliam contemplationem cursu veloci festinabat, a Prophetis rursus sermoni fidem conciliat. Habacuc [enim] 2,4, ait non posse vivere eum qui victurus est, nisi per fidem.

Justus autem ex fide vivet, [inquit] de futura loquens vita. Quia enim quae Deus

elargitur omnem cogitationem superant, jure fide opus habemus. Vir autem pervicax, contemptor et arrogans, nihil perficiet.

8225 *1,18*: Revelatur enim ira Dei de coelo super omnem impietatem et injustitiam hominum eorum qui veritatem Dei in injustitia detinent.

[Apparet hic] prudentia Pauli [qui procedit] a mitibus ad terribilia. Ante dixit Evangelium salutis et vitae causam esse, itemque Dei potentiam et salutem et justitiam operari. [Nunc autem] non attendentibus major incutitur terror; plerique (enim) non tam promissione bonorum, quam tristium terrore ad virtutem trahuntur. Deus [quoque] non solum regnum promisit, sed gehennam minatus [est, et] Prophetarum Judaeis mala bonis admiscet.

8226 Primum mitia [exposuit] ostendens illa ex praevia Dei sententia manare, haec vero ex negligentium nequitia. *Isai. 1,19 sq*: Si volueritis et audieritis me, bona terrae comedetis. Quod si nolueritis et me ad iracundiam provocaveritis, gladius devorabit vos. Venit Christus remissionem ferens, justitiam, vitam, et [quidem] per crucem; et non solum talia largitus [est], sed talia passus; si igitur ipsa dona contumelia affeceritis, tunc tristia vos manebunt.

8227 Sermonem [Paulus] extollit:

Revelatur ira Dei de coelo super omnem impietatem et injustitiam etc.

1,18.

- Undenam hoc liquet?

- Si fidelis hoc dixerit, sententias Christi proferemus; si vero infidelis, a sequentibus illi Paulus os obstruit, ubi de judicio Dei agitur, ex gestis ipsorum insuperabile argumentum adducens.

- Atqui in hac vita hoc saepe accidit: in fame, peste, bellis. Quid igitur tunc novi erit?

- Quod majus futurum sit supplicium; quod commune, et non earundem rerum causa: nunc enim ad emendationem, tunc ad ultionem. *1 Cor. 11,32*:

Corripimur ut non cum hoc mundo damnemur. Et nunc quidem non ex superna, sed ab hominum injuria haec a multis accidere putantur: tunc vero manifesta erit Dei ultio, quando judex sedens in tremendo solio, alios in caminos trahi jubebit, alios ad tenebras exteriores, alios ad alia inevitabilia et intolleranda supplicia.

8228 - Et cur non sic aperte dicit Filium Dei venturum esse cum innumeris Angelis, et rationem a singulis repetiturum?

- Neophiti adhuc erant auditores, ideoque ab iis quae in confesso omnino erant apud eos primum ipsos allicit. [Insuper] gentiles alloqui videntur, [quare] hinc orditur, postea [acturus] de judicio Christi.

Super omnem impietatem et injustitiam, hominum eorum qui veritatem Dei in injustitia detinent, *1,18*.

Multae impietatis [sunt] viae: veritatis una. Varia, multiformis et confusa res

est error: veritas una. Post dogmata, de vita loquitur: injustitiam hominum. Injustitiae variae sunt: [alia] circa pecunias; [alia] mulieres spetat; gloriam [alii] proximi labefactant. [Nunc autem] "Veritatem Dei in injustitia detinent" quid sit, ex sequentibus disce.

8229 *1,19*: Quia quod notum est Dei manifestum est in illis: Deus enim illis manifestavit.

Sed hanc gloriam lignis attribuerunt, et lapidibus. Quemadmodum is cui regiae pecuniae creditae sunt, jussus illas in regis gloriam impendere, si in fures, in scorta et in praestigiatores illas impenderit, exque regiis opibus splendidos illos reddiderit, tamquam qui maxime regem offenderit poenas dat, ita et hi cum notitiam Dei et gloriae ejus acceperunt, deindeque idolis illam attribuissent, veritatem in injustitia detinuerunt, et quantum in ipsis erat cognitionem injuria affecerunt, non ut par erat illa utentes; nam veritas divina immutabilis manet, gloriam suam habens immotam.

8230 - Unde ergo Deus illis manifestavit? Vocem ne illis emisit?

- Id effecit quod magis illos quam vox quaelibet attrahere poterat: creatum orbem in medio posuit, ita ut sapiens, idiota, Scyta, barbarus ex solo visu visibilium pulchritudinem edoctus, ad Deum conscendere posset.

1,20: Invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea quae facta sunt intellecta conspiciuntur.

Ps. 18,2: Coeli enarrant gloriam Dei. Quid enim dicent in illa die gentiles: Ignoravimus te?

Itane coelum non audistis, ex solo aspectu vocem emittens, rerum omnium harmoniam et concentum, clarius quam tuba clamantem, noctis et diei leges, immotas perpetuo manentes, hiemis et veris, et aliarum tempestatum ordinem firmum et immotum, maris commodum in tot procellis et fluctibus, omnia in ordine manentia, ac per pulchritudinem et magnitudinem Creatorem praedicantia?

8231 Haec omnia, et etiam his plura, compendio Paulus dixit:

Sempiterna quoque ejus virtus et divinitas: ita ut sint inexcusabiles. *1,20*, Etsi non in eum finem [quod sint inexcusabiles] fecerit illa Deus, quamvis ita acciderit; sed ut ipsum cognoscerent. Ingrati autem cum essent, se ipsos defensione privarunt.

- Quomodo sint inexcusabiles?

- *1,21*: Quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt.

Unum hoc crimen maximum est: alterum quod idola adoraverint.

Hier. 2,13: Duo enim mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquae vivae, et foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas.

8232 Signum affert quod Deum cognoscant, nec cognitione sua ut par esset utantur; quod deos cognoverint. Quia cum cognovissent etc. Causa [autem] cur in

tantam amentiam delapsi sint, [est quod] ratiociniis suis omnia commiserunt. At non ita dicit: sed longe vehementiori modo:

Sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum, *1,21*.

Sicut in nocte illuni, si quis peregrinum iter carpere conetur, vel in mari navigare, non modo non pervenit ad finem, sed cito perit; sic et isti viam ad coelum ferentem aggressi, sibi que lucem adimentes, et illius loco ratiociniorum suorum tenebris sese committentes, in corporeis incorporeum, in figuris figura expertem quaerentes, naufragium gravissimum fecerunt.

8233 Alia erroris causa in sequenti [exponitur]:

1,22: Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt.

Magnum quidpiam de se imaginantes, nec sustinentes hanc quam jusserat Deus viam ingredi, in amentiae cogitationibus demersi sunt.

Describit tempestatem illam, quam gravis sit et omni venia indigna, in sequenti:

1,23: Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, et volucrum, et quadrupedum, et serpentium.

8234 Accusatio prima [desumitur ex eo] quod Deum non invenerint; secunda quod occasiones magnas et conspicuas habentes; tertia quod cum se sapientes dicerent; quarta quod non modo non invenerint, sed etiam cultum illum ad daemones, ad lapides et ligna derivarint.

Illorum fastum deprimit [in] *1 Cor. 1,25*: sed non perinde illic ut hic; illic a cruce plagam infligit: "Quia quod stultum est Dei sapientius est hominibus": hic sine comparatione sapientiam ipsorum in seipsa traducit ostendens stultitiam esse, et arrogantiae tantum ostentationem. [Deinde] ut discas illos Dei notitiam habentes sic illam prodidisse, ait:

8235 Mutaverunt: Qui mutat, ut aliud habens mutat. Voluerunt enim quid amplius invenire, datis terminis non contenti; ideoque etiam his exciderunt: novitatem enim desiderabant. Hujusmodi omnia Graecorum fuere, ideoque sibi mutuo adversati sunt: Aristotiles insurrexit contra Platonem; Stoici in hunc infremuere et alter alteri hostis fuit; itaque non ita admirandi sunt ob sapientiam, ut aversandi et odio habendi, quia ob hoc ipsum stulti facti sunt. Nisi enim ratiociniis et syllogismis atque sophismatibus sua commisissent, non in talia incidissent.

8236 Criminationem augens idolatriam totam traducit. Certe quod mutaverint ridiculum est; quod autem in talia mutaverint, omni excusatione caret.

- In quae mutaverint, et qua in re gloriam posuerint?

- Cogitandum de illo erat quod esset Deus; quod omnium Dominus; quod eos qui non erant fecerit; quod provideat et curam gerat: haec gloria Dei sunt.

Gloriam: Quibusnam illam ipsi attribuerunt? Non hominibus, sed:

Similitudini imaginis corruptibilis hominis, *I,23*. Neque hic steterunt, sed et ad bruta animalia delapsi sunt, imo et ad illorum imagines.

Et volucrum, et quadrupedum, et serpentium: Pauli [hic apparet] sapientia: quomodo duo extrema posuit, Deum supremum omnium et reptilia infima; imo non reptilia, sed reptilium similitudines, ut apertam illorum insaniam clare ostenderet. Cognitionem enim illam quam habere oportebat, circa eum qui sine comparatione omnium excellentissimus est, hanc omnium haud dubio vilissimo applicuerunt.

8237 Ad philosophos maxime dicta spectant, nam hi Aegyptios horum inventores magistros habent; et Plato qui ceteris praestantior videtur, de hisce gloriatur; ejusque doctor Socrates, idolis istis addictus fuit, qui gallum jubet Aesculapio sacrificari. Hic videas brutorum et reptilium imagines, et cum his Apollinem et Bacchum pari cultu dignatos. Quidam vero philosophi in coelum invexere tauros, scorpiones, dracones, et hujusmodi quisquilias; ubique enim diabolus curavit ad reptilium similitudinem homines demittere, et irrationabilioribus eos subjicere quos Deus supra ipsum coelum extollere voluit.

Aliunde etiam illorum coriphaeum videbis supradictis obnoxium. Cum enim poetas in unum colligit, et dicit oportere illis habere fidem in iis quae de Deo dicunt, utpote qui probe norint, nihil aliud quam nugarum congeriem inducit, et res tam ridiculas veras existimandas esse dicit.

8238 *I,24*: Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in imunditiam, ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis.

[Dicitur] impietas [fuisse] violatarum legum causa.

Tradidit: [idest] permisit. Quemadmodum enim dux exercitus, si ingravescente pugna discesserit, milites hostibus tradit, non ipse impellens, sed auxilio suo privans; sic Deus eos qui noluerunt sua accipere, sed primi resilierunt, dimisit postquam sua omnia impleverat. Pro doctrina [Deus] mundum in medio posuit; mentem et cogitationem dedit, quae posset id quod conveniens erat intelligere. Nullo horum homines usi sunt ad salutem; sed in contrarium quod acceperant inverterunt. Quid igitur facere oportebat? Vi et necessitate trahere? At non est hoc facere virtute praeditos. Reliquum erat ut desereret: quod et fecit, ut vel sic illa quae concupierant experti, turpitudinem fugerent.

8239 In desideria cordis eorum: Si quis regis filius, contempto patre, cum praedonibus, sicariis, se conferat, et illorum consortium paternae domui praeferat, relinquit eum pater, ut stultitiae suae magnitudinem experientia ediscat.

- Cur nullum aliud memoravit peccatum, ut caedem, avaritiam: sed "immunditiam"?

- Auditores tantum, et eos qui epistolam accepturi erant, indicare mihi videtur.

Ut contumelia afficiant corpora sua in semetipsis: Vide emphasim maxime perstringentem. Non aliis egebant quibus contumelia afficerentur, sed quae inimici

intulissent, eadem contra se patrabant.

8240 Deinde causam resumit:

1,25: Qui commutaverunt veritatem Dei in mendacium, et coluerunt, et servierunt creaturae potius quam Creatori.

Quae admodum ridicula erant in specie ponit, quae vero graviora generaliter; ac per haec omnia ostendens creaturae cultum ad gentiles pertinere. Vide quomodo sermonem explicet; non dixit simpliciter:

Coluerunt et servierunt creaturae; sed addit: potius quam Creatori: ubique ratione crimen attollens, et hoc additamento illos venia privans.

Qui est benedictus in saecula. Amen, *1,25*.

Nihil Deo nocuit. Non ut se ulcisceretur deseruit ipsos. Etiamsi illi contumelia affecerint, at ille non passus est, neque gloria ejus imminuta fuit, sed manet semper benedictus.

8241 Nam si plerumque vir qui philosophatur nihil patitur ab iis qui contumeliam inferunt, multo minus Deus, immortalis et immutabilis illa natura, invariabilis et immota gloria. Homines hac in re Deo similes fiunt, cum nihil patiuntur ab iis qui molestiam inferre volunt, nec contumeliam accipiunt, percussi non percutiuntur, aliis iridentibus non vere iridentur.

- Quomodo hoc fieri potest?

- Si non doleas de his quae accidunt.

- Et quomodo possum non dolere?

- At quomodo potes dolere? Si puerulus tuus te contumelia afficeret, an illud pro contumelia haberes? An doleres? Si doleres, annon ridiculus esses?

8242 *1,26*: Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiae. Nam feminae eorum immutaverunt naturalem usum, in eum usum qui est contra naturam. *v. 27*: Similiter autem et masculi, relicto naturali usu feminae, exarserunt in desideriis suis in invicem.

Passiones omnes ignominiosae sunt; maxime vero insania erga masculos. Etenim anima plus patitur, et rubore suffunditur in peccatis, quam corpus in infirmitatibus. Veniam illis denegat, perinde ac in dogmatibus, de mulieribus dicens:

Immutaverunt naturalem usum, in eum usum qui est contra naturam. Non possunt dicere se prohibitas ab eo qui secundum legem est coitu, ad hoc processe; neque se cum non possent concupiscentiam suam implere ad hanc alienam rabiem impegisse: nam "mutatio" eorum est qui jam tenent. Quod etiam de dogmatibus loquens dicebat: Commutaverunt veritatem Dei in mendacium, *v. 25*, de masculis quoque idipsum alio modo significavit, dicens: "relicto naturali usu feminae", pari modo his et illis nullum relinquens purgandi modum; accusans illos non modo quod suum habentes fruendi modum, illo relicto ad alium venissent; sed etiam quod spreto illo qui secundum naturam erat, ad alium contra naturam confugerent.

Difficiliora autem et ingratiiora sunt illa contra naturam, ita ut non possint voluptatem praetendere. Genuina quippe voluptas secundum naturam est. Sed cum Deus derelinquit, omnia sus deque vertuntur; ideo non dogma tantum ipsorum satanicum erat, sed etiam vita diabolica.

8243 De dogmatibus disserens, mundum et humanam mentem uin medium attulit, dicens ex prudentia a Deo sibi data, potuisse homines per per visibilia ad Creatorem duci, deindeque nolentes, venia indignos mansisse. Hic autem mundi loco voluptatem quae secundum naturam est posuit, qua poterant cum libertate ac majore laetitia frui, atque a turpitudine liberari. Sed noluerunt: unde ab omni venia exclusi sunt, ipsam naturam dehonestantes; quodque turpius est, cum mulieres eos appeterent coitus quos cum majore pudore adire par erat, quam si cum viris coiissent.

8244 Admiratione digna [est] Pauli prudentia: quo pacto, cum in res, duas contrarias incideret, utramque cum omni accuratione perfecerit. Volebat enim et caste loqui et mordere auditorem: haec autem ambo facere non licebat, sed alterum alteri officiebat; si enim caste loquaris, non poteris perstringere auditorem: sin velis vehementer incessere, rem quam dicis nude et clare proferre cogaris. Verum prudens illa et sancta anima, utrumque potuit cum accuratione facere: in "naturae" nomine et accusationem augens, et quasi involucro quodam illo utens, ut castus esset loquendi modus.

8245 Deinde, postquam mulieres perstrinxerat primum, ad viros procedit dicens:

Similiter autem, et masculi, relicto naturali usu feminae, *I,27*.

Quod extremae pernicii exemplum est, cum uterque sexus corruptus est, ert cum vir, qui mulieris magister est constitutus, et femina quae adjutrix viri esse jussa est, quae inimicorum sunt utrimque mutuo agunt.

[Item nota] cum quanta emphasi loquatur; non enim dixit ipsos se mutuo amasse et concupivisse, sed "exarserunt in desideriis suis in invicem". Totum fuit ex nimia concupiscentia, quae non poterat intra terminos suos contineri. Quidquid enim excedit leges a Deo positas, aliena concupiscit, nec stat in constitutis terminis. Sicut multi saepe, relicto alimentorum appetitu, terram et lapides parvos comedunt, et alii ardenti correpti siti, lutum plerumque appetunt, sic et illi in amorem illum iniquum exarserunt.

8246 - Unde illud tantum concupiscentiae augmentum?

- Ex eo quod Deus derelinquerit.

- Dei autem derelictio, unde?

- Ex iniquitate eorum, qui derelinquerunt eum. Masculi in masculos turpitudinem operantes, *I,27*, [inquit], ne quia audisti "exarserunt" putes in concupiscentia tantum sisti morbum; nam ut plurimum ab eorum ignavia accenditur concupiscen-

tia; ideoque non dixit: pertracti, vel praeoccupati, sed etiam cum studio et fervore. Nec dixit: "concupiscentiam", sed proprie "turpitudinem"; nam et naturam deturparunt, et leges conculcavere.

8247 Confusio multa ex utraque parte orta [est]; neque modo enim caput inferne positum est, sed etiam pedes superne; atque inimici et sui et mutuo, facti sunt, gravem, multiplicem, variam ac quovis bello civili iniquiorem pugnam inducentes, [et] in quattuor species vanas et iniquas [eam dividentes].

Primo, oportebat duos unum esse. Gen. 2,24: Erunt duo in carne una. Illud efficiebat consortii concupiscentia, et sexus jungebat; hac autem sublata diabolus concupiscentia, et in alium modum derivata, sic sexus a mutuo consortio divisit, et id effecit ut quod unum erat duae essent partes, idque contra Dei legem.

8248 Rursusque has duas partes, ut bellum et sibi ipsis, et tertio, mutuo inferrent effecit: mulieres enim contumeliam inferebant mulieribus, nec modo viris. Quarto, viri quoque et contra viros insurrexerunt, et contra mulierem sexum, quasi in quadam nocturna pugna: aliud nam cum supradictis, in ipsam naturam inique egerunt. Ubi vidit enim diabolus ipsam concupiscentiam sexus maxime copulare, hoc vinculum discindere nisus est, ita ut non tantum ex defectu seminis genus dissolveretur, sed etiam ex eo quod bellum sibi mutuo inferrent.

8249 Et mercedem quam oportuit, erroris sui in semetipsis recipientes, 1,27.

Erroris sui: Ad fontem mali venit: impietatem nempe ex dogmatibus, et hanc esse dicit incontinentiam.

Mercedem quam oportuit: iniquitatis illius.

In semetipsis recipientes: Quia de gehenna et supplicio loquens, impiis et ita vivere volentibus non videbatur nunc fide dignus, imo ridiculus, ostendit in ipsa voluptate hoc supplicium esse. Quod si id non sentiant, imo sibi placeant, ne mirentur; nam furentes, et qui phraenitide capti sunt, se multum laedentes et miserabilia facientes; dum aliorum lacrymas excitant, rident ad de gestis a se laetantur; sed non ideo dicimus illos a supplicio exemptos, sed ideo in graviore damno et poena versari, quia quo in statu sint, nesciunt. Non enim ab aegris, sed a bene valentibus calculum ferri oportet.

8250 Quandoquidem, jam ab antiquo res in legem versa videbantur; et quidam legislator apud illos jusserat, ne quis servus apud illos vel unctio sicca uteretur, vel pueros amaret. Liberis tantum hanc praerogativam, vel potius turpitudinem, concedens. Attamen illi non turpitudinem esse putabant, sed rem honestam, et majorem quam ferret servorum conditio. Et hoc sapientissimus Atheniensium populus, et magnus apud illos Solon. Et alios quoque multos philosophorum libros hoc morbo repletos reperies; neque tamen ideo rem esse statutam dicimus, sed eos qui hanc acceperere legem, miseros et lacrymis dignos. Eadem enim hi patiuntur quae mulieres fornicantes, imo et miserabiliora. Illarum enim coitus, etsi illegiti-

mus, secundum naturam est; hic vero et illegitimus, et contra naturam. Etiam si nec gehenna esset, nec supplitii comminatio, hoc omni supplicio pejus esset.

8251 Quod si ipsis id placeat, augmentum [est] supplicii. Neque enim si quam viderem nudum currentem, toto corpore foedatum ex luto, nec pudore affectum sed sibi gratulantem, gratularer et ego ipsi: imo potius illum deplorarem, quod non ipse sentiret se turpiter agere. Si quis virginem in thalamo versantem damnaret ut cum brutis animalibus commiseretur, illa vero in tali coitu delectaretur, annon ideo lacrymis dignior esset, quod non posset ab hoc morbo liberari, imo nec illum sentire? Si autem grave illud sit, hoc non minus grave: nam a suis contumelia affici, miserabilius est quam ab alienis.

Hos ergo homicidis peiores dico; melius quippe est mori, quam sic contumelia affectum vivere. Homicida enim animam a corpore separat, hic vero animam cum corpore perdit; et quodcumque dixeris peccatum, non aequale dixeris; et ssi qui haec patiuntur, rei sensum haberent, millies mori praeoptarent, ne hoc paterentur.

8252 Nihil est hac contumelia irrationabilius et gravius. Si enim de fornicatione Paulus loquens, dicebat, 1 Cor. 6,18: Omne peccatum quodcumque fecerit homo extra corpus est: qui autem fornicatur in corpus suum peccat, quid de hac insania quae tanto deterior est fornicatione! Neque enim hoc tantum dico quod factus sis mulier, sed quod cesses etiam esse vir; neque mutatus sis in istam naturam, neque illam serves quam habuisti, sed utriusque communis proditor effectus sis, et dignus qui a viris et mulieribus expellaris et lapideris, utpote qui utrumque sexum injuria affeceris.

8253 Si quis offeret tibi se ex homine te canem esse facturum, annon illum tu perniciosum effugeres? Atque te, non canem ex homine fecisti, sed animal cane longe vilius. Canis quippe utilis est; amasius ad nihil utilis. Quid, quaeso te, si quis comminaretur effecturum se ut viri parerent, annon ira replemur? At nunc ecce graviora longe faciunt qui tantopere insaniunt; non enim par res est in mulierem mutari, et virum manentem mulierem fieri, imo neque hoc neque illud. Interroga cur legislatores puniant eos qui eunuchos faciunt: non alia de causa quam quod naturam excendant et minuant, etsi illi non tantum injuriae inferant. Nam exsecti illi plerumque post excisionem utile, fuerunt. Viro autem in meretricem converso, nihil inutilius; neque enim anima solum, sed etiam corpus viri talia passi, ignominia plenum est, et dignum quod undique pellatur. Quot gehennae illis sufficient?

8254 Si vero gehennam audiens rides et incredulus es, recordare ignis illius Sodomorum. Vidimus enim, vidimus et in praesenti vita gehennae imaginem. Quia enim multi iis quae resurrectionem sequentur fidem habituri non erant, nunc audientes ignem inextinguibilem esse, Deus illos a praesentibus ad sanam mentem reduxit. Talis igitur est Sodomorum ignis et incendium; et sciunt illi qui eo se contulerunt, et plagam illam divinitus immissam, et supernorum fulminum opus vide-

runt. Cogita quantum sit peccatum, quod vim fecerit ut ante tempus gehenna appareret. Quia enim multi verba illa despiciebant, gehennae imaginem novo modo ostendit illis Deus.

8255 Etenim stupenda erat pluvia illa, quia coitus ille praeter naturam erat; et inundavit terram, quia illorum etiam animas concupiscentia inundaverat: ideo consuetudini contraria erat pluvia. Non modo enim terrae viscera non excitavit ad fructus proferendos, sed illam ad seminum susceptionem ineptam reddidit. Talis erat coitus virorum in terra Sodomorum, tale corpus inutilius reddens. Quid enim viro meretricem agenti execrabilius et infamius? O furorem, o stuporem! Quomodo haec concupiscentia grassata est, quae humanam naturam quasi hostes bello invasit, imo hostibus ipsis tanto molestior, quanto anima melior est corpore! O vos irrationabilibus irrationabiliores et canibus impudentiores! Nusquam enim apud illos talis coitus: sed natura suos terminos agnovit. Vos vero genus vestrum ignobilius effecistis per injuriam tantam.

8256 - Undenam haec orta sunt mala?

- A voluptate; ab eo quod Deum non cognosceritis. Cum enim quidam ejus timorem ejecerint, omnia demum bona avolant. Ne igitur id accidat, timorem Dei assidue prae oculis habeamus. Nihil enim, nihil ita hominem perdit, ut cum a tali excidit anchora; neque ita illum servat, ut si perpetuo illuc respicitur. Nam si homines prae oculis habentes, segniores sumus ad peccata admittenda, imo saepius famulos modestiores reverentes nihil absurdi facimus, cogita quanta fruamur securitate, si Deum prae oculis habeamus. Nusquam enim nos diabolus ita affectos invadet, utpote qui inutiliter laboraret; si vero extra vagantes, et sine foeno circummeantes viderit, a nobis arrepto initio, ubique nos deinceps a grege deficere poterit.

8257 *1,28*: Et sicut non probaverunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea quae non conveniunt.

Ut ne videretur illos subindicare, postquam diu circa puerorum amorem versatus fuerat, ad alia deinde peccatorum genera transit; ideoque ad alias personas totum sermonem transfert; et ac si semper fideles de peccatis alloqueretur, ut illa fugienda esse commonstret, Gentes in medium producit. *1 Tess. 4,5*: Non in passione desiderii, sicut et gentes quae ignorant Deum. *v. 13*: Ut non constrictemini, sicut et ceteri qui spem non habent. Sic et hoc loco illorum peccata exhibet, illosque ab omni venia deturbat; non enim per ignorantiam admissa sed meditata dicit esse facinora.

8258 Non dixit: Sicut non cognoverunt, sed:

Sicut non probaverunt Deum habere in notitia etc. *1,28*.

Ex corrupto iudicio et ex contentione, potius quam ex rapina [dicit esse] peccatum; non ex carne, ut quidam haereticorum dicunt, sed ex animo, et mente

malae concupiscentiae peccata proficisci, et hunc esse malorum omnium fontem.

Tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea quae non conveniunt, *ibi*. Postquam enim mens reprobata facta est, auriga corrupto, omnia demum labefactantur et subvertuntur.

8259 *1,29*: Repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, avaritia, nequitia.

[Vide] omnia confertim: nam illos dicit: "repletos omni"; et cum malitiam in genere nominasset, jam partes ejus prosequitur, cum hyperbole dicens: plenus invidia, homicidio (hoc enim ex illo oritur, ut in Abel et Joseph) contentione, dolo, malignitate, susurrone, v. 30: detractores, Deo odibiles, contumeliosos.

Etiam ea quae multis indifferentia esse videntur, in criminum ordine non ponens.

Auget rursus accusationem, postquam in arcem malorum ascendit, et dicit:

Superbos, elatos, *ibi*. Gravius est enim altum sapere post peccatum, quam peccare. Ideo Corinthios incusat, *1,2*: Et vos inflati estis. Nam si qui de recte facto inflatus est totum perdit, qui cum peccatis inflatur, quo non dignus fuerit supplicio? Qui enim talis est, resipiscere non poterit.

8260 Inventores malorum, *ibi*: significans non sat ipsis fuisse illa quae jam exstabant; sed et alia invenisse quod meditantium et studentium erat, qui a nullis subriperentur et attraherentur. Cum autem malitiam minutatim dixisset, et ostendisset ipsos in eadem ipsa stetisse natura, [addit]:

Parentibus non obedientes, *1,30*.

Ad pestis tantae radicem sic demum pergit:

1,31: Insipientes, incompósitos, sine affectione, absque foedere, sine misericordia.

Hanc et Christus esse causam nequitiae dicit, Matth. 24,12: Cum abundaverit iniquitas, refrigescet caritas multorum. Ostendit [insuper Paulus] ipsos hoc naturae donum prodidisse; habemus enim naturalem quemdam ad invicem affectum, ut et ipsae ferae. Eccli. 13,19: Omne animal diligit simile sibi: sic et omnis homo proximum sibi. Morbum qui ex pravis dogmatibus orbem invasit his nobis ostendit, et declaravit utrumque morbum ex aegrorum negligentia prodire. Significat, ut de dogmatibus jam fecerat, etiam illos veniam carere.

8261 *1,32*: Qui cum justitiam Dei cognovissent, non intellexerunt quoniam qui talia agunt digni sunt morte; et non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.

Cum duas posuisset antitheses, hic ambas de medio tollit. Quid enim dixeris te nescire ea quae facienda sunt? Certe si non nosses, tu in causa esses relicto Deo qui tibi haec nota fecerat; nunc vero multis probamus te illa jure et sponte peccare. Sed ab affectu traheris? Cur ergo cooperaris et laudas? Non solum faciunt, sed etiam consentiunt. (Ita Chrysostomus).

Priore igitur posita quae venia indigna est, ut illam de medio tollat (peccante enim is qui peccatum laudat longe nocentior [est]) hoc [dico] primum posito, hinc vehementius in sequentibus illum arguit.

8262 2,1: Propter quod inexcusabilis es, o homo, omnis qui iudicas. In quo enim iudicas alterum, teipsum condemnas; eadem enim agis quae iudicas.

Haec principes respiciens dicit: quia urbi illi imperium tunc temporis in totum orbem traditum [erat]. Defensionem tibi aufers, quisquis sis.

2,2: Scimus enim quoniam iudicium Dei est secundum veritatem in eos qui talia agunt.

Ne quis diceret: interim effugi, ut terreat ait non ita se rem habere apud Deum ut apud nos; hic enim alius punitur, alius effugit qui eadem admisit; illic vero non item. Quod ergo justa noverit Is qui iudicat, dixit: unde noverit, non item; superfluum enim fuisset. Cum autem dicit: Omnis qui iudicat, etiam privatis loquitur et subditis; etenim omnes homines, etiamsi thronum non habeant non carnifices, nec lignum, attamen et ipsi de iis qui peccant iudicant in colloquiis et coetibus, ex conscientiae calculo. Et nemo dicere ausit moechum non esse dignum poena; sed alios, inquit, damnat: non seipsos; ideo in illos vehementer insurgit.

8263 2,3: Existimas autem hoc o homo qui iudicas eos qui talia agunt et facis ea, quia tu effugies iudicium Dei?

Quia enim ostendit ingens peccatum orbis, et a dogmatibus [esse] et a facinoribus (nempe quod sapientes cum essent, quod cum haberent creaturas se manuducentes, quod non modo Deum reliquissent, sed elegissent imagines reptilium; quod etiam virtutem spernerent; quod alliciente natura, ad nequitiam se sponte conferrent, quodque contra naturam agerent), ad illud deinde se confert, ut ostendat eos qui talia perpetrant supplicio tradi. Jam memoravit supplicium cum de facinore ageret: Mercedem erroris sui in se ipsis recipiunt, 1,27. Verum quia non sentiunt illam, addit et aliam, quam maxime timebant, jamque illam ostenderat: Iudicium Dei secundum veritatem esse. Attamen illud hic pluribus probat, sic dicens: Existimas etc.

8264 Tuum non effugisti, et iudicium Dei effugies? Et quis hoc dixerit? Atqui tu teipsum iudicasti; verum postquam tanta fuit hujus tribunalis auctoritas, nec tu tibi parcere potuisti: quomodo Deus qui impeccabilis est, summe justus, non multo magis hoc faciet? Sed tu teipsum damnasti, et Deus te approbabit et laudabit? Ecqua ratione haec dicantur? Atqui tu longe supplicio, et quidem majore, dignior [es] illo quem damnasti. Non enim idipsum est simpliciter peccare, et postquam alium punivisti peccantem, in eadem peccata incidere: viden quomodo crimen auxerit. Si enim tu eum qui minus peccavit plectis, etiamsi teipsum deturpaturus sis, quomodo Deus te majora peccantem, neque sibi pudorem illaturus, non magis et gravius damnabit te, qui jam a tuis cogitationibus damnatus es? Quod si dixeris: Novi

quidem me supplicio dignum esse, sed propter Dei, patientiam despicias, et quia non statim poenas das, confidis. Hinc certe jure timere ac tremere debueris: non enim ut non poenas des, sed ut des graviore differtur, si emendabilis maneat.

8265 2,4: An divitias bonitatis ejus et patientiae, et longanimitatis contemnis, ignorans quod benignitas Dei ad poenitentiam te adducit?

Postquam Dei patientiam laudavit, et ostendit ex ea maximum lucrum attendentibus accedere, hoc est peccantes ad poenitentiam trahere, timorem auget. Sicut enim iis qui ejus patientia, ut par est, usi fuerint causa salutis est, sic et contemnentibus, majus supplicium affert. Hoc enim et quod circumfertur: Deum benignum et patientem, poenas non repetere. Cum autem hoc dicis, nihil dicis aliud quam quod supplicium augeatur; nam benignitatem Deus exhibet ut a peccatis te eximas, non ut peccata accumules; si non id feceris, terribilior erit ultio; quamobrem, quia patiens est Deus, ideo peccare non oportet neque beneficium ingrati animi causam efficere. Etsi enim patiens sit, at omnino punit.

- Undenam hoc liquet?

- Ex iis quae sequuntur. Si enim ingens nequitia est nec poenas improbi dederunt, procul dubio dabunt. Etenim, si haec non negligunt homines, quomodo negliget Deus? Itaque inde sermonem de judicio induxit; nam cum ostendat multos esse noxios, nisi poenitentiam egerint, et non hic puniri, judicium "certe" futurum et "gravissimum" esse statuit.

8266 2,5: Secundum autem duritiam tuam et impenitens cor:

Cum enim nec mansuetudine emolliatur, nec timore flectatur, quid illo durius fuerit? Postquam autem Dei benignitatem ostendit, tunc supplicium exhibet; quod nempe sit intollerabile ei qui nec sic conversus sit. Et vide quam proprie verbis utatur:

Thesaurizas tibi iram, 2,5: omnino repositam iram ostendens, et non judicem, sed eum qui judicatur illius causam esse. Tibi thesaurizas, non Deus tibi. Ille enim omnia quae par erat praestitit, et tibi bonorum malorumque cognitionem impertiis, patientiam suam exhibuit, ad poenitentiam te vocavit, diem terribilem comminatus est, per omnia te ad resipiscentiam alliciens. Quod si inflexus maneat.

8267 Thesaurizas tibi iram in die irae et revelationis justi judicii Dei, 2,5.

Ne putes, audita ira, passionem esse, addit:

Justi judicii Dei: ac recte dixit: revelationis; tunc enim hoc revelat, cum secundum meritum singuli accipiunt; nam hic saepe multi praeter jus molestiam inferunt, et insidias struunt; illic vero non item.

2,6: Qui reddet unicuique secundum opera ejus.

Postquam se terribilem et severum exhibuit, cum de judicio et futuro supplicio loqueretur, non se statim ad supplicium ut expectandum videbatur, conjecit, sed ad rem suaviorem, nempe retributionem bonorum, sermonem convertit hoc pacto:

8268 2,7: Iis quidem qui secundum patientiam boni operis, gloriam et honorem et incorruptionem quaerunt, vitam aeternam.

Hic eos qui in tentationibus animo defecerant, erigit, ostenditque non oportere in fide sola fiduciam habere; nam tribunal illud acta examinat.

Secundum patientiam boni operis: Perpende illum, cum de futuris loquitur, non posse clare bona illa explicare, sed dicere:

Gloriam et honorem: Quia enim bona humana longe superant, nullam habet imaginem quam possit adhibere, sed ab eis quae apud nos splendidiora videntur, illa utcumque exprimit: a gloria, ab honore, a vita; illa enim inter res humanas expetuntur. Verum coelestia his praestant, quod sint incorruptibilia et immortalia.

Et incorruptionem quaerunt, vitam aeternam, 2,7. Viden ut nobis de resurrectione corporum fores aperuit: incorruptionem. Deinde, quia hoc non satis erat, addidit: gloriam et honorem; omnes enim resurgemus incorrupti, sed non omnes ad gloriam.

8269 2,8: Iis autem qui sunt ex contentione:

Rursus venia privat eos qui in nequitia vivunt, et ostendit eos ex contentione quadam et ignavia ad nequitiam decidisse.

Et qui non acquiescunt veritati: credunt autem iniquitati, 2,8.

Ecce aliam rursus acusationem. Quam enim excusationem habuerit is qui lucem fugit et tenebras diligit? Neque dicit: vi impulsos, vel tyrannide; sed obtemperantes iniquitati "credunt iniquitati"; ut discas voluntatis esse lapsum, non necessitatis crimen.

8270 Ira et indignatio. v. 9: Tribulatio et angustia in omnem animam hominis operantis malum.

Licet opulentus quis fuerit, licet consul, licet rex, neminem reveretur iudicii ratio; non hic locum habent dignitates. Cum ergo morbi vehementiam exhibuisset et causam addidisset, [scilicet] aegrotantium ignaviam, et finem quoque (quod scilicet pernicies illos exceptura sit), nec non emendationis facilitatem, Judaeum rursus in supplicio aggravat:

Judaei primum et Graeci, 2,9. Nam qui majore imbutus fuit doctrina, majori supplicio dignus fuerit si inique agat. Itaque quanto prudentiores potentioresque sumus, tanto magis punimur si peccemus. Etenim, si dives es, plures a te exigentur pecuniae; si prudentior, major obedientia; si potentia valeas, illustriora opera.

8271 Gloria autem et honor et pax omni operanti bonum, Judaeo primum et Graeco.

Judaeo primum et Graeco:

Quem Judaeum, quem Graecum? De iis qui ante Christi adventum fuere; nondum enim ad gratiae tempus pervenit sermo, jam prius de medio tollens differentiam Graecum inter, gentilem et Judaeum; ut cum in gratiae tempore id faceret, non

res nova, aut onerosa videretur. Si enim in prisco illo tempore, cum nondum tanta gratia effulserat, cum res Judaeorum honorandae, illustres et celebres apud omnes, nullum erat discrimen, quam demum rationem afferre poterant post tantam gratiae exhibitionem? Graecos autem seu gentiles hic vocat, non idololatrias; sed eos qui Deum colebant, qui naturali legi parebant, qui praeter judaicas observationes, omnia quae ad piam religionem [essent] observabant: ut Melchisedech, Job, Ninivitae, Cornelius.

8272 Distinctionem inter circumcisionem et preputium suffodere incipit, et procul illam differentiam aggreditur, ita ut et sine ulla suspicione id faciat, et ex alia necessitate in eam rem se conjiciat: quod apostolicae prudentiae semper proprium fuit. Nam si id gratiae temporibus ita se habuisse docuisset, multa suspicione plenus sermo habitus fuisset; quod autem de malitia et perversitate loquens, quae tunc mundum occupabat, ex quadam serie in hunc sermone incidisset, non suspectam doctrinam reddebat. Quod autem illud in scopo habeat Paulus, et sic ideo rem composuerit, hinc palam est. Nisi enim id probare studuisset, posquam dixerat: Secundum duritiam tuam et impenitentem cor thesaurizas tibi iram in die irae, 2,5, id satis fuisset, et re perfecta claudendum erat argumentum; verum quia non illi in proposito erat de futuro iudicio tantum agere, sed ostendere volebat nihil plus habere Judaeum quam Graecum hujusmodi, ne Judaeus altum saperet, ultra progreditur et ordine utitur.

8273 Perpende autem: Auditorem terruit, tremendam illam diem quasi intonuit, dixit quantum esset malum in nequitia vivere, ostendit neminem ex ignorantia peccare neque impune, sed etiamsi nunc poenas non det, in futuro [daturum esse]; hinc demum probare vult legis doctrinam non esse rem admodum urgentem; nam in operibus sita est poena, sicut praemium, non in circumcisione et praepotio. Postquam igitur dixerat Graecum omnino poenam esse subiturum, et inde probavit etiam honorandum esse, superfluum deinde ostendit legem et circumcisionem; nam hic Judaeos maxime impugnat. Quia enim illi contentiosiores erant, prae fastu non dignantes se cum gentilibus annumerari, invidentes eos qui dicerent fidem peccata omnia delere, ideo prius Graecos incusavit, ut sine suspicione et cum fiducia Judaeos adoriretur.

8274 Deinde cum ad supplicii examen venit, ostendit Judaeum non modo nihil utilitatis a lege accipere, sed etiam aggravari; et hoc jam superius probare incoepit. Si namque Graecus ideo inexcusabilis est, quia et natura et cogitationibus imsum inducentibus melior non evasit, multo magis Judaeus, qui cum his doctrinam quoque a lege accepit. Cum persuasisset ergo illi ut in aliorum peccatis hoc ratiocinium admitteret, vel invitum cogit illum deinceps, ut in iis quae ad ipsum spectarent, idem faceret. Et ut facilius id faceret, ad mitiora eum ducit his verbis:

8275 Gloria autem et honor, et pax etc. 2,10.

Hic enim quantacumque quis habeat bona, cum perturbatione magna habet, licet dives sit, potens, rex, etsi non cum alio, secum saltem saepe dissidet, et multum vel in cogitationibus habet bellum. Illic autem nihil simile, sed omnia tranquilla et a perturbatione libera, cum vera adjuncta pace. Cum ergo ex supra dictis probasset etiam eos qui legem non habent eadem bona assecuturos, sequitur ratiocinando:

8276 2,11: Non enim est acceptio personarum apud Deum.

Cum enim dicit et Judaeum et Graecum peccantes puniri, non habet ratiocinio opus; cum vero satiare vult honorari Graecum, tunc probatione opus habet: nam mirum videbatur si is qui nec legem, nec prophetas audierat bona operans honoraretur; ideo, ut jam dixi, in temporibus gratiam praecedentibus, illorum auditum exercet, ut facilius deinceps cum fide illorum in hic sensum induceret. Hic enim suspectus minime est, utpote qui intentum suum non probet.

8277 Cum dixisset ergo: Gloria, honor etc., Judaeo primum et Graeco, 2,10, pergit: Non enim est acceptio personarum apud Deum. Quanta cum exuberantia vicit! Ostendit, re in absurditatem adducta, non secundum Deum fore si res ita non esset, nam id personarum acceptio esset, quod in Deo cadere non potest. Neque dixit: Nisi res ita se habeat, personarum acceptor est Deus; sed dignius loquens: Non est personarum acceptio apud Deum, [qui] non personarum qualitatem, sed rerum differentiam examinat. Hinc vero declarat non re, sed persona Judaeum a Graeco differre. His consequens erat dicere: Non enim quia ille quidem Judaeus, hic Graecus, ideo ille quidem honoratur, hic vero contumelia afficitur; sed ex operibus utrumque fit. Verum non ita dixit: Judaei enim animum concitasset; sed quid amplius addidit, illorum fastum dejiciens ut illud admitterent.

8278 2,12: Quicumque enim sine lege peccaverunt, sine lege peribunt; et quicumque in lege peccaverunt, per legem judicabuntur. Hic, ut jam dixi, non modo aequalitatem inter Judaeum et Graecum, sed demonstrat etiam Judaeum a lege valde gravatum esse. Graecum enim "sine lege judicatur". Hic autem [illud] "sine lege", non gravius, sed minus quidpiam indicat: Non habet accusantem se legem; sine damnatione ex lege facta, et ex naturalibus solum ratiociniis condemnatur. Judaeus vero "per legem", lege cum natura incusante. Quanto enim majore cura dignatus est, tanto majores dabit poenas. Vide quanto majorem Judaeis necessitatem intulerit, ut ad gratiam accurrerent. Quia enim dicebant se non egere gratia, per legem solam justificatos, ostendit ipsos magis quam Graecos illa egere, siquidem magis puniendi sunt.

8279 Deinde aliud inducit ratiocinium, quo jam dicta propugnet.

2,13: Non enim auditores legis justi sunt apud Deum.

Recte addidit, "Apud Deum": nam apud homines fortasse possunt honorandi videri, et sese magnopere jactitare; apud Deum vero contra omnino [evenit]. Sed factores legis justificabuntur, *ibi*.

Vides cum quanta rationum vi sermonem in contrarium vertat. Si enim per legem servari rogas, te hac in re praecedat Gentilis, qui ea quae scripta sunt executus videtur.

- Et qui fieri potuit, inquires, ut qui auditor non fuerit, factor fuerit?

- Potest fieri. Non hoc tantum, sed et aliud longe majus; non solum enim sine auditione potest esse factor, sed etiam post auditionem potest non factor esse; id quod postea clarius exprimit cum majore vi verborum: Qui doces alium, te ipsum non doces, 2,21.

8280 Hic autem interim illud probat:

2,14: Cum enim gentes quae legem non habent, naturaliter ea quae legis sunt faciunt, ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex.

Non ejicio legem, inquit, sed hinc gentes justifico. Viden' quomodo Judaismi gloriam suffodiens, nullam sui accusandi ansam praebet, quasi legem dehonestet, imo contra quasi exaltans et magnam ostendens illam, sic totum probat. Cum autem dicit: "naturaliter" secundum naturalia ratiocinia intelligit; et ostendit alios esse meliores et, quod majus est, ea de causa meliores quod non acceperint legem, qua videntur Judaei praestare. Ideo enim mirabiles sunt, quia lege non opus habere, et ea quae legis sunt faciunt, opera, non litteras animis suis insculpentes.

8281 2,15: Qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, et inter se invicem cogitationibus accusantibus aut etiam defendentibus. v. 16: In die cum judicabit Deus occulta hominum, secundum evangelium meum, per Jesum Christum.

Viden, quomodo repraesentet illum diem, et prope adducat, illorum mentem exagitans, et ostendens illos potius honorandos esse qui sine lege, quae legis erant perfecerunt.

8282 Maxime admirandum in apostolica prudentia [hoc est]: Cum enim probatione allata dimonstrasset majorem esse Graecum Judaeo, in collectione et conclusionem rationum hoc non ponit, ut ne Judaeum exasperet. Quia enim dixit: Non enim auditores legis, sed factores justificabuntur, v. 13: consequens erat ut diceret: Cum enim gentes quae legem non habent naturaliter quae legis sunt faciunt, v. 14: hinc meliores sunt illis qui a lege docentur. Verum non hoc dicit; sed in gentiliu laude consistit. Neque interim sermonem per comparationem prosequitur, ut et sic Judaeus quod dicitur admittat; ideo ait: Cum enim gentes quae legem non habent, naturaliter ea quae legis sunt faciunt, ejusmodi legem non habentes ipsi sibi sunt lex; qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia, v. 14 sq.

8283 Sufficit enim pro lege conscientia et cogitatio. His ostendit rursus Deum fecisse hominem ad virtutem eligendam et vitium fugiendum sibi sufficientem. Et ne mireris si aut bis aut ter aut pluries id probat; admodum enim ipsi hoc caput ne-

cessarium erat, propter eos qui dicebant:

- Cur nunc Christus advenit? et ubinam priscis temporibus tanta illa providentia erat? Adversus hos nunc cum carptim pugnasset, ostendit etiam quod priscis temporibus et antequam lex daretur, hominum natura omnimodo providentia gaudebat; nam quod notum est Dei manifestum est illis, *1,19*; sciebantque quid bonum, quid malum esset, per quae de aliis judicabant. In quo judicas alium, teipsum condemnas, *2,1*. Quantum ad Judaeos cum iis quae supra dicta sunt, lex aderat, nec solum ratiocinatio vel conscientia.

8284 Et inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus, *2,1*: Si legem habent scriptam et opus exhibent, quid est quod accusari possit ratiocinium? At non de illis tantum dicitur illus "accusantibus", sed etiam de tota natura; tunc enim adsunt ratiocinia; alia accusant, alia defendunt, atque in illo tribunali non habet opus homo alio accusatore.

In die cum judicabit Deus: Deinde timorem augens, non dixit: peccata hominum sed: occulta hominum, *v. 16*. Postquam enim dixit: Existimas qui judicas eos qui talia faciunt, et facies ea, quia tu effugies iudicium Dei? *2,3*, ut ne tale accipias calculum quale ipse fers, sed intelligas sententiam Dei tua longe exactiorem esse, subjunxit: occulta hominum, et adjecit:

8285 Secundum Evangelium meum per Jesum Christum, *v. 16*: Homines enim rerum manifestarum tantum iudices sedent.

Per Jesum Christum: Atqui supra de Patre tantum loquebatur; cum autem illos timore emollivisset, de Christo sermonem induxit; neque hunc simpliciter, sed etiam hic cum Patrem memorasset, sic illum induxit, et praedicationis dignitatem per illos attollit. Haec enim, inquit, praedicationis haec praenuntiat, quae antevertens natura exhibuit.

Vidistin' quam prudenter ipsois et Evangelio et Christo admovens alligaverit, et ostenderit nostra non esse praesentibus limitibus circumscripta, id quod etiam supra probavit dicens: Thesaurizas tibi iram in die irae, *2,5*, et hic rursus: Judicabit Deus occulta hominum, *2,16*.

8286 Unusquisque igitur in suam conscientiam veniens, et peccata recogitans, rationem accurate ab se repetat, ne tunc cum mundo damnemur. *1 Cor. 11,32*: Horrendum quippe est iudicium illud, tremendum tribunal, terroris plenae rationes reddendae: fluvius ignis manat. *Ps. 48,8*: Frater non redimit: redimet homo? Recordare eorum quae in Evangelio dicuntur, *Matth. 24,29 sqq.* Angelorum circumstantium, clausi thalami, lampadarum non extinctarum, potestatum in fornaces trahentium, et illud tecum reputa: Si, nostrum cujuspian occultum facinus aliquod in medium hodie afferrentur in ecclesia tantum, annon mallet interire, et terram sibi dehiscere, potius quam tot nequitiae testes habere?

8287 Quid ergo tunc patiemur, cum coram orbe toto omnia afferrentur, in tanto

tam splendido theatro, et notis et ignotis omnia conspicientibus? At vae mihi! Udenam territare vos cogor, ab hominum existimatione, cum a timore Dei oporteret, et ab ejus condemnatione? Quinam, quaeso te, erimus cum vincti, dentibus stridentes in exteriores tenebras ducemur? Imo, quid faciemus, quod omnium terribilissimum est, cum Deo occurremus? Si quid enim sensum et mentem habeat, certe jam gehennam sustinuerit, cum a facie Dei expulsus erit. Quia vero id illi grave non est, ideo ignem comminatus est.

8288 2,17: Si autem tu Judaeus cognominaris, et requiescis in lege, et gloriaris in Deo...

Postquam dixerat nihil deesse Graeco ad salute, dummodo legem servet, et admirandam illam comparisonem fecerat, quae honorabilia apud Judaeos erant ponit, ex quibus adversus Graecos efferebantur. Ipsum nomen primo admodum honorabile erat, ut est nunc Christianismus; quare et hinc orditur. Et vide quomodo illud decutiat; non enim dixit: Tu Judaeus es, sed: cognominaris, et gloriaris in Deo, quasi dilectus ab illo, et prae aliis hominibus honoratus. Hic mihi videtur illorum arrogantiam et vanagloriam perfringere, quod dono illo non ad salutem suam, sed ut in alios insurgant atque illos despiciant abusi sint.

8289 2,18: Et nosti voluntatem ejus, et probas utiliora, instructus per legem.

Atqui hoc sine opere est vitium: attamen praerogativa videbatur esse, ideoque accurate illud apponit; non enim dixit: facis, sed: nosti... et probas: non aggredieris neque agis.

2,19: Confidis te ipsum esse ducem caecorum.

Non dicit: es, sed: confidis, te venditas. Multa enim erat Judaeorum arrogantia; ideo eadem fere verba usurpa quae illi sex jactitantes. Jo. 9,34: In peccatis natus es totus, et tu doces nos? Et altum sapiebant adversus omnes; id quod Paulus arguendo perseveravit, hos attollens, illos dejiciens, ut magis illos perstringeret. Ideo progreditur hoc augens et amplificans, diverse narrando:

Lumen eorum qui in tenebris sunt, v. 20: eruditiorum insipientium, magistrum infantium, habentem formam scientiae et veritatis in lege.

Non in conscientia et in operibus, in recte factis, sed "in lege". Sicut contra gentiles ait: In quo enim judicas alium, te ipsum condemnas, 2,1. Sic et hoc loco:

8290 2,21: Qui ergo alium doces, te ipsum non doces?

Hic mitius quam illis; non enim dicit: atqui majori ideo supplicio es dignus, quia cum tot tibi sint concredita, nullo hortum, ut par est, uteris; sed per interrogationem agit, pudorem incutiens, sic Pauli prudentia. Eas enim Judaeorum praerogativas ponit quae non ex eorum studio, sed ex superno dono erant; ostenditque non modo superfluas esse ipsis negligentibus, sed etiam supplicii additamentum afferre. Non enim bonum opus eorum est quod Judaei vocentur, nec quod legem acceperint, neque alia quae numeravit, sed ex superna gratia erant.

Ac principio quidem dixit nihil juvare si lex audiatur, nisi opus addatur: Non enim auditores legis justus sunt apud Deum, 2,13. Nunc autem multo magis ostendit non modo auditionem, sed etiam, quod majus est, doctrinam non posse docenti patrocinari, si non faciat illa quae docet; nec modo non patrocinabitur, sed etiam majorem attrahet ultionem.

8291 Recte autem illis dictionibus usus est; non enim dixit: Accepisti legem, sed: requiescis in lege. Neque enim laboravit Judaeus circumeundo, ut quaereret mea quae agenda erant; sed facile habuit legem quae viam ostenderet ad virtutem; etiamsi enim gentes naturae ratiocinium habeant, unde illos superant utpote qui sine auditione omnia faciant, attamen illic major facilitas erat.

Quod si dicas: Non solum audio, sed etiam doceo, illud quoque supplicii additamentum est. Quia ergo hac in re altum sapiebant, hinc maxime illos ridiculos ostendit.

8292 Cum vero dicit: Ducem caecorum, eruditorem insipientium, magistrum infantium, 2,19 sq., illorum fastum exprimit. Magnopere enim proselytis abutebantur, et hoc illos nomine vocabant; ideo Paulus illas quae videbantur esse laudes eorum, varie refert, sciens illas majoris accusationis esse causam.

Habentem formam scientiae et veritatis in, lege, v. 20: quemadmodum si quis regiam imaginem habens, nihil in illa depingit; ii vero quibus illa concredita non est, sine prototypo accurate imitantur. Recte autem, postquam enarravit praerogativas quas a Deo habebant, illorum vitia recenset, eadem ipsa afferens, de quibus prophetae accusabant: Qui ergo doces alium, te insum non doces; qui praedicas non furandum, furaris; v. 22: qui dicis non moechandum, moecharis; qui abominaris idola, sacrilegium facis.

Etenim, valde prohibitum erat ne quis res idolorum contingeret; et amatae pecuniae tyrannis, [inquit Paulus] hanc conculcare legem vobis persuasit.

8293 Deinde, quod gravius erat,

2,23: Qui in lege gloriaris, per praevaricationem legis Deum inhonoras.

Tria crimina: Quod dehoneat; quod per ea quae honorati sunt; quod se honorantem inhonoret, quod erat animi summe ingrati. [Et] ne videretur ex se accusare, prophetam accusatorem inducit, Is. 52,5. Nunc quidem paucis et summatim, deinde per partes; nunc Isaiam, postea Davidem, quando plures retulit confutationes.

2,24: Nomen enim Dei per vos blasphematur inter gentes, sicut scriptum est, *Isai. 52,5*.

8294 Alia duplex accusatio: non solum ipsi contumelia afficiunt, sed et alios ad id apparant. Quae igitur doctrinae utilitas, quando vos ipsos non docetis? Verum hoc tantum superius dixit; hic vero in contrarium vertit: Non solum non vos ipsos, sed nec alios docetis ea quae agenda et, quod longe gravius, non solum ea quae le-

gis sunt non docetis, sed contraria docetis: blasphemare Deum.

At circumcisio magna res est; sed tunc cum circumcisio intus habetur. Vide prudentiam: quam opportune ejus mentionem intulerit. Non enim statim ab illa orsus est, quoniam magna erat de illa opinio; sed postquam ostendit illos a majori offendisse, et blasphemiae in Deum causam esse, tunc demum auditorem habens jam illos damnantem, et illis primatu exclusis, de circumcisione agit, confidens neminem fore qui illi suffragetur.

8295 2,25: Circumcisio quidem prodest si legem observes.

Atqui poterat aliter illam ejicere, dicereque: Quid enim est circumcisio? Num opus bonum est ejus qui illam habuerit? Num boni propositi argumentum? Atqui in aetate fit immatura; et qui in deserto erant, multo tempore manserunt incircumcisi; atque aliunde multisque ex locis videre est, illam non fuisse valde necessariam. Attamen non ideo illam rejicit, sed unde maxime oportebat: ab Abrahamo; nam hic victoria celebrior est, si inde despicibilis videatur, unde ipsis venerabilis erat.

8296 Quamquam dicere poterat Prophetas Judaeos vocare incircumcisos; verum non est hoc circumcisionis vitium, sed eorum qui illa male utebantur. Id quod quaeritur est, ut ostendatur illam in optima vita nihil roboris habere: sed hoc deinceps probat. Et hic Patriarcham non adducit, sed alia ex parte prius illam dejiciens, postea illum observat, cum de fide loquitur. Quomodo igitur imputata est fides Abrahae? In circumcisione an in preputio? *Rom. 4,10*. Donec enim haec adversus gentilem et praeputiatum decertat, nihil horum vult dicere, ne sit nimis onerosus. Cum autem circumcisio adversus fidem pugnat, tunc contra illam accingitur; interim adversus praeputium pugna est.

8297 Circumcisio quidem prodest si legem observes: si autem praevaricator legis sis, circumcisio tua praeputium facta est, 2,25.

Duas hic ait circumcisiones et duo praeputia, sicut duas leges: naturalis, scripta [cui additur] intermedia per opera. Vide quomodo has tres leges ostendat, 2,14: Cum enim gentes, quae legem non habent (scriptam), naturaliter ea qua legis sunt faciunt (per opera) ejusmodi legem non habentes (scriptam) ipsi sibi sunt lex (naturalis), qui ostendunt opus legis (per opera). Prima est interior, altera exterior, tertia in actibus. Hac tertia est opus, propter quam aliae duae, naturalis et scripta; quod si haec non adsit, illarum nullus usus est, sed nocumentum maximum: et hoc ostendit de naturali quidem: in quo enim judicas alterum, teipsum condemnas, 2,1. De scripta vero: Qui praedicas non furandum, furaris, 2,21.

Sic et praeputia duo: naturale [et] ex opere. Circumcisio [similiter duplex]: in carne [et] a voluntate. Circumcisos est quis octavo die? [Haec est] carnalis circumcisio. Executus es legalia omnia? [Haec est circumcisio] spiritualis, quam maxime quaerit Paulus, imo et ipsa lex.

8298 Verbo circumcisionem concedit, re sustollit. Non enim dixit: inutilis est,

sed: Circumcisio quidem prodest. Quando? Cum legem observes. Si autem praevaricator legis sis, circumcisio tua praeputum facta est, 2,25. Non dixit: non ultra prodest, ne videatur illam contumelia afficere; sed ubi in illa Judaeum denudavit, tunc demum illam impetit; quod non jam circumcisionis est vitium, sed ejus qui ob ignaviam illam amisit. Sicut igitur viros in dignitatibus constitutos, deinde in magnis sceleribus deprehensos, iudices prius ablato dignitatum honore, tunc supplicio tradunt, sic et Paulus fecit. Cum enim dixisset: Si autem praevaricator legis sis, addidit: circumcisio tua praeputum facta est; et cum incircumcisum ostendisset illum, sine metu damnat.

8299 2,26: Si igitur praeputum justitias legis custodiat, nonne praeputum illius in circumcisionem reputabitur?

Non dicit quod praeputum circumcisionem vincat; hoc enim valde molestum auditoribus esset; sed quod praeputum circumcisio factum sit. Deinde quaerit: quid sit circumcisio? quid praeputum? Et dicit circumcisionem esse opus bonum, et praeputum rem malam. Et cum prius in circumcisionem putasset praeputum bonis operibus instructum, et circumcisum corrupte viventem in praeputum impulisset, sic victoriam dat praeputato. Nec dicit tamen "praeputato", sed ad ipsam rem transit.

8300 2,27: Et iudicabit id quod ex natura est praeputum.

Duo [sunt] praeputa: ex natura [et] ex voluntate; hic vero illud quod ex natura est dicit; neque hic gradum sistit:

Legem consummans, te qui per litteram et circumcisionem praevaricator legis es, 2,27.

Subtilissima prudentia! Non dicit praeputum quod ex natura est circumcisionem iudicaturum esse; vero ubi victoria erat, eo praeputum introducit; ubi vero vincitur, non ultra circumcisionem victam esse dicit, sed circumcisum Judaeum, cavens ne auditorem percellat. Nec dixit: te qui legem habes et circumcisionem; sed adhuc mitius: te qui per litteram et circumcisionem praevaricator legis es: hoc est, et circumcisionem ulciscitur tale praeputum, nam illa laesa est; et auxiliatur legi: incommodum enim passa est.

8301 Splendidumque erigit trophaeum; victoria enim tum splendida est, cum non a Judaeo Judaeus, sed a praeputato vincitur; ut cum ait Matt. 12,42: Viri Nivivitae surgent et condemnabunt generationem hanc. Itaque non legem inhonorat; illam enim magnopere veneratur; sed eum qui legem contumelia afficit. Deinde, postquam haec clare probavit, fidenter definit quid sit Judaeus; ostenditque non se Judaeum et incircumcisum; ac videtur quidem illam defendere, ejusque existimationem solvit, a rei eventu calculum ferens. Ostendit enim non modo nullum esse discrimen inter Judaeum et praeputum, sed etiam superiorem esse praeputum, si sibi attendat, eundemque verum esse judaeum.

8302 2,28: Non enim qui in manifesto Judaeus est, neque quae in manifesto, in carne, est circumcisio.

Hic illos perstringit, utpote qui omnia ad ostentationem facerent.

2,29: Sed qui in abscondito Judaeus est, et circumcisio cordis, in spiritu non litera.

In abscondito: excludit corporalia omnia.

Circumcisio praecipue excluditur, quia magna ejus ratio erat.

In spiritu: viam parat ad Ecclesiae institutum, et inducit fidem, cum illa in corde et spiritu laudem a Deo habet.

8303 - Cur non ostendit bene agentem gentilem, bene agente Judaeo non esse inferiorem, sed bene agentem gentilem transgressore Judaeo esse meliorem?

- Ut indubitata redderet victoriam. Hoc enim cum in confesso est, circumcisio carnis necessario excluditur, et ostenditur ubique esse bona vita opus; cum enim gentilis sine his salvus sit, et Judaeus cum his puniatur, cessat Judaismus, cujus laus non ex hominibus, sed ex Deo est.

8304 3,1: Quid ergo amplius Judaeo est, aut quae utilitas circumcisionis?

Quia omnia exclusit, conciones, doctrinam, nomen, [cum dixit]: Non qui in manifesto, 2,28, videt deinceps objectionem exsurgentem, et contra illam stat: - Si haec nihil juvant, cur vocata gens fuit, cur circumcisio data?

Quomodo illam solvit? Ut superiora solvit; sicut enim illic, nobis illorum laudes praedicavit, sed Dei beneficia: non illorum recte facta. Nam quod Judaei vocarentur, quod voluntatem Dei nossent, quod examinarent utilia, non illorum sed Dei, gratiae opus erat, quod exprobandi propheta dicebat: Non fecit taliter omni nationi, et judicia sua non manifestavit eis. Ps. 147,20 et 8, Moyses, Deut. 5,26:

8305 Sicut enim cum de circumcisione loqueretur non dixit: haec circumcisio sine bona vita nihil prodest, sed: circumcisio cum bona vita prodest, id ipsum significans sed mitius; et [sicut] rursum: Si autem praevaricator legis sis, non addidit: nihil proficis tu qui circumcisus es, sed: circumcisio tua praepitium facta est; et [sicut item] post: iudicabit praepitium, non circumcisionem, sed: te praevaricatorem legis, legalibus parcens, homines feriens, ita et hic facit. Cum enim hoc objecisset sibi: Quid amplius habet Judaeus? non dixit: nihil; sed id sermone innuit, et per sequentia hoc ipsum sustulit, ostenditque illos ob huiusmodi praerogativam plexos fuisse.

8306 Quomodo?

3,1: Quid amplius Judaeo est, aut quae utilitas circumcisionis? v. 2: Multum per omne modum. Primum quidem quia concredita sunt illis eloquia Dei.

Nusquam eorum recte facta, sed Dei beneficia enumerat. Deus ipsis illa credidit: non ipsi verbis crediderunt.

3,3: Quid enim si quidam illorum non crediderunt? Numquid incredulitas

illorum fidem Dei evacuabit? Absit.

8307 [Ecce] Pauli prudentia. Accusationem eorum non a seipso inducit, sed quasi ex objectione, ac si diceret: At fortasse dices: Ecqua utilitas circumcisionis hujus? Neque enim illa ut par est usi sunt; credita illis lex est, [sed] ipsi non crediderunt. Atque interim, non vehemens accusator est, sed quasi Deum a criminatione vindicans, totam illam in ipsos convertit. Cur accusas, inquit, quod non crediderint? et quid hoc ad Deum? Num ejus beneficentiam subvertit honor? Id enim indicat illus: Numquid incredulitas eorum fidem Dei evacuabit? Absit, 3,3. Ac si quis diceret: Ego illum talem honore affeci; si vero honorem ille non admisit, hinc accusandus non sum, neque id benignitatem meam laedit, sed illius stupiditatem arguit.

8308 Paulus vero non hoc solum dicit, sed longe amplius: quod non modo criminationem Deo non inferat incredulitas eorum, sed majorem ostendat ejus honorem et benignitatem, cum eum qui se inhonoraturus est, honore afficit. Vidistin' quomodo illos criminibus obnoxios effecerit ex iis de quibus gloriabantur? Si quidem Deus tantum intulit illis honorem, ut etsi praevidens a benevolentia sua non desisteret; illi vero se honore afficientem, per ipsum illatum honorem contumelia affecerunt. Deinde, quia dixit: Quid enim, etc., ne secundum historiam loquens videretur esse vehemens ut inimicus accusator, modo ratiocinii et syllogismi ponit id quod in rei veritate factum est.

8309 3,4: Est autem Deus verax, omnis autem homo mendax.

Non dico quod quidam non crediderint, se si vis pone omnes fuisse incredulos; quod vix factum fuerat concedens, ut nec molestus, nec suspectus esse videretur. Nam sic, inquit, magis justificatur Deus. Si iudicium statuatur et examen eorum quae ipse Judaeis contulit, et quae Judaei ipsi retulerunt, victoria penes Deum erit, et in omnibus justus ille apparebit. Ac cum id prius clare ostendisset ex supradictis, tunc Prophetam attulit, Ps. 50,6: Ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris. Ipse enim omnia sua fecit: illi vero neque sic meliores evasere.

8310 Deinde objectionem aliam hinc exsurgentem in medium adducit:

3,5: Si autem iniquitas nostra justitiam Dei commendat, quid dicemus? Numquid iniquus est Deus qui infert iram? v. 6: (Secundum hominem dico) Absit.

Absurdum per absurdum solvit. Judaeos Deus honoravit: illum ipsi contumelia affecerunt. Hoc illi victoriam parat, et magnam ejus benignitatem demonstrat. Igitur, quandoquidem, ait, quia nos contumelias et injurias ipsi intulimus, ideo Deus vicit et justitia ejus splendida fuit, cur inquit punior, qui per contumeliam ipsi victoriae causa fui?

8311 Quomodo solvit illud? Alia absurditate. Si enim tu victoriae causa fuisti, et postea puniris, injustum est, si autem ille non injustus est, et tamen puniris, jam non illi victoriae causa fuisti.

Et vide pietatem apostolicam. Cum enim dixisset: Num iniquus est Deus qui infert iram? Adjecit: (secundum hominem dico) Absit. Alioquin quomodo judicabit Deus hunc mundum? 3,6: ac si quis, ait, secundum humanum ratiocinium disse- reret. Justum quippe Dei judicium, ea quae nobis justa esse videntur longe superat, et alias quasdam arcanasque rationes habet.

8312 Deinde, quia illud obscurum erat, secundo idipsum dicit:

3,7: Si enim veritas Dei in meo mendacio abundavit in gloriam ipsius, quid adhuc et ego tamquam peccator judicor?

Si Deus, inquit, benignus, justus et bonus visus est, ob idipsum quod tu non obtemperasti, non modo debes non puniri, sed mercede donari; si autem hoc sit, illud absurdum sequetur, quod a multis circumfertur: ex malis nempe bona fieri, et mala causas esse bonorum. Ex duobus autem alterum necessario consequetur: aut eum si punit injustum videri; si vero non punit, ex malis nostris victoriam obtinuisse; quod utrumque supra modum absurdum est. Id quod et ipse declarans, hujusmodi dogmatum patres inducit Graecos, satis esse putans ad dictorum confutationem personarum haec dicentium qualitatem.

8313 Tunc enim illi nobis illudentes dicebant: Faciamus mala ut eveniant bona; ideoque clare illud posuit ita dicens:

3,8: Et non (sicut blasphemamur et sicut ajunt quidam nos dicere) faciamus mala ut eveniant bona: quorum damnatio justa est.

In gentiles facile invectus est; illorum quippe vita admodum corrupta erat. Judaeorum vero etsi vita neglecta videretur, at illis tegmina erant magna lex et circumcisio, et quod Deus cum illis versatus et collocutus esset, quodque omnium essent doctores; ideo illis haec velamenta abstulit, et illos magis ea de causa plecti demonstravit. Qua in re hic sermonem conclusit: Nam si in talibus patris, inquit, non puniuntur, necesse est ut blasphemum illud dictum circumferatur: Faciamus mala ut eveniant bona; si autem illud impium est, et si qui illud dicunt poenas dabunt, (id quod declaravit his verbis: quorum damnatio justa est: [scilicet] palam est illos puniri); nam [dico] si qui hoc dicunt supplicio digni sunt, multo magis qui faciunt. Si autem supplicio digni, utique quod peccaverint. Neque enim homo est qui punit, ut qui de calculi veritate dubitet, sed Deus, qui omnia juste facit. Si vero juste puniuntur, injuste illi supra memorata dicebant, nos traduentes.

8314 3,9: Quid ergo? praecellimus eos? Nequaquam. Causati enim sumus Judaeos et Graecos omnes sub peccato esse. v. 10: Sicut scriptum est: quia non est justus quisquam. v. 11: Non est intelligens, non est requirens Deum. v. 12: Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. v. 13: Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant: venenum aspidum sub labiis eorum. v. 14: Quorum os maledictione et amaritudine plenum est. v. 15: Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem. v. 16:

Contritio et infelicitas in viis eorum. v. 17: Et viam pacis non cognoverunt. v. 18: Non est timor Dei ante oculos eorum, *Ps. 13,1 sqq.*

8315 Accusavit gentiles, accusavit Judaeos: consequens erat ut deinceps loqueretur de justitia quae est per fidem. Si enim lex naturalis nihil juvit, nec quid amplius fecit lex scripta, sed utraque iis qui ut par erat usu sunt, oneri fuit et majori dignos supplicio illos ostendit, necessaria est salus illa quae per gratiam paritur.

Dic ergo! Sed nondum audet, Judaeorum petulantiam suspectam habens; verum ad illos accusandos rursus sermonem convertit. Primo inducit Davidem multis accusantem, quod Isaias brevi [et ipse accusavit], ne resilirent. Ac tria summe gravia ponit Propheta: quod omnes mala exercerent; quod non admiscerent mala bonis, sed nequitiam solam exercerent; quod cum grandi conatu. Deinde, ne dicerent: Quid si contra alios haec dicta sunt? subjungit:

8316 *3,19*: Scimus autem quoniam quaecumque lex loquitur, iis qui in lege sunt loquitur.

Hebraeis haec dicta sunt. Post Esaiaem qui, ut in confesso erat, illos respiciebat, Davidem induxit, ut ostenderet haec quoque illis annecti debere. Quae enim necessitas alios incusare eum prophetam, qui ad vestram emendationem missus erat? Neque enim lex aliis data fuerat quam vobis.

- Cur "lex" pro propheta vel psalmis?

- Quia vetus omne testamentum "legem" vocare solet Paulus. Legem non auditis: qui Abraham duos filios habuit? *Gal. 4,22.*

8317 Ostendit non accusandi tantum causa haec dici, sed etiam ut fidei lex viam pararet per accusationes et redargutiones. Quia hoc maxime Judaeos perdidit, quod altum de se saperent, quod utique progressus ille dicit; quod nempe ignorantes Dei justitiam et suam statuere justitiam quaerentes, justitiae Dei non se submiserint. Ipsos antevertens, lex et propheta ipsorum fastum depressit ac tumorem, ut sua cogitantes peccata, et arrogantiam omnem deponentes, seque videntes de extremis periclitari, cum studio multo ad illum accederent qui sibi peccatorum remissionem praeberet, et gratiam per fidem acciperent.

8318 Hoc ipsum hic Paulus subindicans dicebat:

Scimus quod quaecumque lex dicit, iis qui in lege sunt, dicit: ut omne os obstruatur, et subditus fiat omnis mundus Deo, *3,19.*

Hic ostendit eos bonorum operum fiducia destitutos, verbisque tantum arrogantis et impudentes esse. Non ait quod ideo peccaverint ut os eorum obstrueretur; sed ideo confutabantur, ut ne ignorarent se peccavisse.

8319 Et subditus fiat omnis mundus Deo: Non dixit Judaeus, sed: tota natura. Illud "ut omne os obstruatur" illos subindicat, licet non manifeste, ne asperior sermo eset; illud autem: "ut subditus fiat omnis mundus", simul de gentilibus et Judaeis dictum [est]. Non parum autem confert ad illorum arrogantiam comprimen-

dam, cum nihil hic plus habeant quam gentiles, sed simul tradantur secundum salutis verbum; nam "obnoxius" proprie dicatur is qui non sibi satis esse possit ad defensionem, sed alterius indigeat ope, qualia erant nostra omnia, cum ea quae ad salutem tenderent, amissemus.

8320 3,20: Quia ex operibus legis non justificabitur omnis caro coram illo. Per legem enim cognitio peccati.

Volens statuere fidem, legem deprimi; remissius tamen, incusando non legem, sed Judaeorum ignaviam; nam si de lege gloriaris, ipsa te magis pudore afficit; haec peccata tua traducit. Verum non ita aspere loquitur, sed remisse rursus:

Per legem enim cognitio peccati.

Igitur et supplicium majus, sed a Judaeis subeundum; nam lex quidem id effecit ut peccatum tibi patefieret. Tumum erat effugere; cum vero non fugeris, majus tibi attraxisti supplicium, legisque opus viaticum tibi fuit ad majorem ultionem. Postquam igitur timorem auxit, tunc ea quae ad gratiam spectant inducit, multum ingerens remissionis peccatorum desiderium.

8321 3,21: Nunc autem sine lege justitia Dei manifestata est.

Duo hic posuit. Primum: justificari; alterum: sine lege; ideo non simpliciter justitia, sed "Dei" dicit, a dignitate personae majus ostendens domum, et promissionem impleri posse demonstrans; omnia quippe ipsi possibilia sunt.

Neque dixit, data est; sed: "manifestata est", innovationis accusationem reserans; nam quod manifestatum est, et vetus et absconditum fuit. Neque hanc novam esse sequentia testatur.

Testificata a lege et prophetis: Jam illam olim lex et prophetae praedixerunt. Alia probavit, alia probaturus est. In superioribus, [7424] adduxit Habacuc, 2,4: Justus ex fide vivit; in sequentibus Abraham et David; personarum quippe apud illos magna auctoritas; ac promissiones his de rebus ad utrumque factae [fuerant]. Matthaeus, evangelium ordiens, amborum primo meminit.

8322 Ne quis vero diceret: Et qui fieri potest ut cum nihil ad rem propositam contulerimus, salutem consequamur? ostendit nos non parum ad eam rem conferre: [scilicet] fidem. Cum dixisset ergo: Justitia Dei, addit:

3,22: Justitia autem Dei per fidem Jesu Christi, in omnes et super omnes qui credunt in eum.

Rursus turbatur Judaeus, nihil praerogativae prae ceteris habens. Ut igitur ne hoc patiat, illum timorem reprimit, dicens:

Non enim est distinctio, *ibi*.

8323 3,23: Omnes enim peccaverunt.

Etiamsi enim legem acceperis, unum tantum a lege accepisti: ut peccatum cognosceres, non ut illud fugeres. Ne dicerent: Si peccavimus, at non perinde atque illi, [addit]:

Et egent gloria Dei. (Destituuntur a gloria Dei: Chrysostomus).

Etiamsi non tantum quantum illi peccaveris, attamen perinde gloria privaris. Es quippe ex offendentium numero; qui autem offendit, non inter glorificatos, sed inter pudore suffusos censendum est. Verum ne timeas, ideo haec dixi non ut te in desperationem conjicerem, sed ut tibi Domini benignitatem ostenderem.

8324 Quare subdit:

3,24: Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quae est in Christo Jesu. v. 25: Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiae suae, propter remissionem praecedentium delictorum. v. 26: In sustentatione Dei, ad ostensionem justitiae ejus in hoc tempore; ut sit ipse justus et justificans eum qui est ex fide Jesu Christi.

Vide quot probationes! Prima a dignitate personae. Non est [Deus] homo qui deficiat: Dei [eni] est justitia. Altera a lege e prophetis. Ne "absque lege" audiens timeas, 3,21 [addit]: testificata a lege et prophetis. Tertia, a sacrificiis veteris testamenti: In sanguine ipsius; in mentem revocans illis oves illas et vitulos. Si brutorum caedes peccata solvebant, multo magis hic sanguis; nec simpliciter dixit "liberationis", sed "redemptionem", ut non ultra redeamus in illam servitutem; et ideo vocat "propitiationem", ostendens si typus tantam vim habuerit, multo magis veritatem id praestaturam esse.

8325 Ac ostendens non novum, nec recens esse, ait: "Proposuit"; et postquam dixit: proposuit, [addit] Deus; et ostendit Patris esse opus, idem ipsum declarat esse Filii. Nam Pater proposuit, Christus vero "in sanguine ipsius" totum perfecit. "Ad ostensionem justitiae suae" ("ejus"), sicut divitiarum, potentiae, vitae; ut non solum ipse haec habeat, sed et ceteris communicet.

Hoc ipsum ipse interpretatur, subjungens:

Ut sit ipse justus, et justificans eum qui est ex fide Jesu Christi, 3,26.

8326 Ne itaque dubites: non enim ex operibus, sed "ex fide"; neque a Dei justitia fugias; duplex [enim] illius bonum est: quod et leve sit, et omnibus propositum. Nec te pudeat, nec erubescas; nam si ipse hoc facere ostenditur, et ostentat se, ut ita dicam, et sibi gratulatur, quomodo tu erubescis, et te occultas in qua re Dominus tuus glorificatur?

Cum exisset auditorem, dicendo ea quae facta sunt esse ostensionis justitiae Dei, rursus segnem et recusantem timore ad accedendum impellit:

Propter remissionem praecedentium delictorum, 3,25.

Frequenter peccata in memoriam revocat. Supra: Per legem enim cognitio peccati, 3,20. Postea: Omnes enim peccaverunt, 3,23. Hic vehementius: Propter remissionem, hoc est propter mortificationem. Non enim ultra spes sanitatis erat, sed quasi corpus paralyticum superna egebat manu. Quoque gravius est, et quod in causa esse dicit, majorem accusationem mereri indicat: quod in tolerantia Dei illa

remissio facta sit.

8327 In sustentatione Dei, 3,26. Neque enim dicere potestis vos non multam tolerantiam ac benignitatem nactos esse. "In hoc tempore" [quod] ejus est qui magnam tolerantiam et humanitatem exhibuit. Cum enim in desperationem acti essemus, inquit, ac sententiae tempus adesset, malaque aucta essent, ac peccata ad cumulum ascendissent, tunc ille potestatem suam exhibuit, ut discas quanta apud illum sit justitiae copia.

Ad ostensionem justitiae ejus in hoc tempore, 3,36. Neque enim illud si in principio factum fuisset, tam mirum ac stupendum visum fuisset ut nunc, medicinae omnis modus superatus est.

8328 3,27: Ubi est ergo gloriatio tua? Exclusa est. Per quam legem? Factorum? Non, sed per legem fidei.

Ostendit fidem tantum valuisse, quantum lex numquam imaginari potuit. Non dicit: Ubi ergo praeclara Judaeorum opera? Ubi justitiae exercitium?

Ubi gloriatio? ubique ostendens illos sese magnifica jactantes, quasi quid plus haberent, sed nullum opus proferre. Non respondit: Abscessit, periit, sed:

Exclusa est; quod extra tempus suum esse denotat. Ut enim adveniente judicio non ultra tempus habent, ii qui poenitentiam agere vellent, sic sententia demum prolata, cum omnes perituri essent, illeque advenisset qui mala illa per gratiam sublaturus erat, non ultra tempus habuerunt illi ut emendationem ex lege faciendam obtenderent.

8329 Nunc ille venit, ut ne dicerent: Si in principio venisset potuisset fieri ut per legem salus obtineretur propriis laboribus et operibus. Hanc igitur illorum impudentiam cohibens, diurno tempore distulit, ita ut postquam per omnia deprehensum esset ipsos non sibi sufficere, tunc per gratiam suam salutem illis daret. Ideo cum dixisset: Ad ostensionem justitiae, 3,36, intulit: in hoc tempore. Qui contradicit, similis est reo convicto, qui gratis a rege absolutus gloriatur quasi de innocentia. Oportebat illud demonstrare antequam gratia veniret; quia enim ex se proditi erant, ideo ipse venit, et adventu suo illorum jactantiam sustulit.

8330 Qui enim se dicit infantium praeceptorem, et in lege gloriatur, ac se stultorum magistrum appellat, perinde atque illi doctore ac servatore indigens, nullam gloriandi cusam habuerit. Si enim antea circumcisio praeputium facta est, multo magis nunc: nam illa ab utrisque temporibus ejecta est. Quomodo exclusa est?

Per quam legem? Factorum? Non, sed per legem fidei, 3,27. Fidem appellavit legem, ut emolliat eam quae novitas esse videbatur. Quenam fidei lex? Ut per gratiam salus obtineatur. Hic Dei potentiam ostendit, quod non solum servaverit, sed etiam justificavit, et in gloriationem deduxerit, non egens operibus, sed fidem tantum requirens. Haec dicit ut credentem Judaeum ad modestiam praeparet, et non credentem reprimat, ita ut illum pertrahat.

8331 3,28: Arbitramur enim justificari hominem per fidem sine operibus legis.

Ubi ostendit eos a fide sine operibus legis Judaeis esse superiores, de fide cum multa fiducia disserit, et ei quod hic turbare videbatur, medelam affert. Duo turbabant Judaeos: Primum, si ii qui cum operibus servati non fuerant, sine operibus possent servari; alterum, si justum esset praeputiatos iisdem frui queis ii qui tanto tempore in lege enutriti erant: id quod illos magis turbabat; hinc [enim] Petrum accusabant ob Cornelium. [Paulus ergo] non dixit "Judaeum", sed orbi salutis portas aperiens, dicit "hominem", commune naturae nomen usurpans. Dein, occasione hinc sumpta, non positam objectionem solvit.

8332 Quia verisimile erat, Judaeos omnem hominem a fide justificari audientes, id aegre ferre, et hinc offendi, ait:

3,29: An Judaeorum Deus tantum?

Cur enim hoc tibi absurdum esse videtur, quod omnis homo salvetur? Num Deus parti uni tantum favet? [Quod dicit] ostendens illos, dum gentibus molesti esse volunt, Dei gloriam potius labefactare, si non sinunt illum omnium esse Deum. Si autem omnium Deus est, omnibus etiam providet; si omnibus providet omnes similiter per fidem servat; hinc ait: An Judaeorum Deus tantum? Nonne et gentium? Imo et gentium, 3,29. Non est enim partim Deus, ut Graecorum fabulae ferunt, sed communis omnium, et unus. Ideo subjungit:

8333 3,30: Quoniam quidem unus est Deus: hoc est idem ipse et horum et illorum Dominus. Si vetera mihi dicis, tunc quoque providentia communis erat, etsi diverso modo: tibi lex scripta, illis naturalis; et hi nihil minus habebant si voluissent, sed vincere poterant. Quare idipsum subindicans, adjecit:

Qui justificat circumcisionem ex fide, et praeputium per fidem, 3,30.

Priora in mentem revocat, queis demonstravit nullam esse differentiam. Quod si tunc nulla erat, multo magis nunc.

8334 Hoc clarius probans, ostendit utrumque fide opus habere.

3,31: Legem ergo destruimus per fidem? Absit: sed legem statuimus.

[Ecce Pauli] prudentia. "Statuimus" [dicit et ita] eam ostendit non stare, sed solutam esse. [Vide] Pauli ingenium: cum quanta facilitate ea quae vult probat. Hic ostendit fidem non modo a lege [non] labefactari, sed ab illa juvari: atque etiam legem fidei viam parare.

Quomodo "statuimus"? Finem legis perficiendo, justificationem per fidem. Tria [ergo hucusque] demonstravit: Quod sine lege possit homo justificari; quod id lex non potuerit; quodque fides cum lege non pugnet. Quia hoc maxime Judaeum turbabat: plus demonstravit quam Judaeus vellet.

8335 4,1: Quid ergo dicemus invenisse Abraham patrem nostrum secundum carnem?

Dixerat non posse salutem obtineri nisi per fidem; nunc demonstrat illam non

dedecoris, sed majoris esse gloriae ea quae per opera acquiritur; unde antea hoc subindicans, salutem vocavit "justitiam Dei" 3,22, ostensionem Dei, 3,25 sq.

Quid ergo dicemus? Per interrogationem pergit, tum perspicuitatis, tum confidentiae causa.

Abraham: Vult probare quod ille qui circumcisionem primus accepit, non hinc sed ex fide justificatus sit, ad victoriae cumulum.

Patrem nostrum secundum carnem: Ejicit Judaeos ex germana ejus cognatione, et viam sternit gentibus ad propinquitatem illius.

8336 v. 2: Si enim Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum.

Abraham: [Cum] tota disputatio circa Abraham [sit], hinc vocat "patrem", necessitatem imponens in omnibus illi optemperandi.

Habet gloriam, sed non apud Deum: Duae [sunt] gloriations: ab operibus [et] a fide. A fide multo major [est] gloriatio. Qui in operibus gloriatur, labores suos proferre potest; qui autem sibi gratulatur quod Deo credat, Dominum glorificat; quae enim non dictavit rerum visibilium natura a fide in Deum accipiens, sinceram etiam erga eum caritatem exhibuit, et splendidam ejus potentiam praedicavit: illud vero generosissimi est animi, philosophicae sententiae mentisque sublimis.

8337 Illud enim: non furari, non occidere, vulgarium hominum est; credere vero quod impossibilia possit Deus, magno admodum animo eget, et erga ipsum optime affecto: etenim germanae caritatis hoc signum est. Deum certe colit qui praecepta implet, multoque magis hic qui per fidem philosophatur; ille quidem psi obedivit, hic vero convenientem de illo opinionem accepit, et magis quam per operum ostensionem illum glorificavit et admiratus est. Illa ergo gloriatio recte operantis est: haec vero Deum glorificat, totaque ipsius est: gloriatur enim quod magna de illo concipiat, quod in illius gloriam transit.

8338 Gloriatur fidelis non modo quod Deum sincere amet, sed quod magno ejus honore et amore fruatur. Sicut enim ipse illum amavit, magna de illo imaginatus, (hoc enim amoris argumentum est), sic et Deus illum amavit sexcentis peccatis obnoxium; nec modo a supplicio liberavit, sed etiam justum effecit.

4,3: Quid enim dicit Scriptura? Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam. v. 4: Ei autem qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum.

8339 SUMMA S. THOMAE

Primae partis Prologus.

Propositum operis [est] ea quae ad Christianam religionem pertinent eo modo tradere, secundum quod congruit ad eruditionem incipientium.

Quaestio 1. De Sacra Doctrina: qualis sit, et ad quae se extendat.

[Art.] 1. - Utrum sit necessarium praeter philosophicas disciplinas, aliam doctrinam haberi.

2 *Tim. 3,16*: Omnis Scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum, ad justitiam. Necessaria est sacra doctrina omnibus ad salutem, quae in Deo est: absolute quidem in quantum hic finis excedit rationem; (*Isa. 64,4*: Oculus non vidit Deum, absque te, quae praeparasti diligentibus te); in quantum autem naturaliter cognosci potest, quia a paucis, et per longum tempus, et cum admixtione multorum errorum [cognoscitur], ut convenientius et rectius salus proveniat.

Nota: - *Eccli. 3,22*: Altiora te ne quaesieris. Hoc est per rationem; revelata tamen a Deo suscipe per fidem. Unde ibidem: Plurima supra sensum hominum ostensa sunt tibi. v. 25.

- Sacra doctrina est de veritatibus a Deo revelatis: Theologia.

- Ratio, sive medium cognoscibilis [est] lumen divinae revelationis.

8340 [Art.] 2. - Utrum sacra doctrina sit scientia.

Augustinus, 1. 14 De Trinitate, 1,3 t. 8,948 E: Huic scientiae attribuitur illud tantummodo quo fides saluberrima gignitur, nutritur, defenditur, roboratur.

Est scientia, quia procedit ex principiis notis, non quidem per se, lumine naturali, sed lumine superioris scientiae: Dei et beatorum.

Nota: Singularia introducuntur in sacra doctrina, non quia de eis principaliter tractetur, sed vel in exemplum vitae, vel ad demonstrandam auctoritatem virorum per quos ad nos revelatio divina processit.

8341 [Art.] 3. - Utrum sit una scientia.

Sap. 10,10: Dedit illi scientiam sanctorum.

Est una scientia, quia una est ratio formalis objecti [quod est] esse revelatum.

Nota: Est etiam unius generis subjecti, nam determinat de Deo principaliter, et de creaturis secundum quod referuntur ad Deum, ut ad principium vel finem.

Ea quae in diversis scientiis philosophicis tractantur, considerat sub una universaliore ratione formali, scilicet in quantum sunt divinitus revelabilia; et ita sacra doctrina est velut quaedam impressio divinae scientiae, quae est una simplex omnium.

8342 [Art.] 4. - Utrum sit scientia practica.

Est magis speculativa, quia principaliter agit de rebus divinis, quam de actibus humanis, de quibus agit secundum quod per eos ordinatur homo ad perfectam Dei cognitionem. Comprehendit tamen sub se utramque, propter rationem formalem communem, quam in diversis attendit: sicut et Deus eadem scientia se cognoscit et ea quae facit.

8343 [Art.] 5. - Utrum sit dignior aliis scientiis.

Prov. 9,3: Misit ancillas suas vocare ad arcem.

Est dignior speculativis, secundum certitudinem quae est ex lumine divinae scientiae, quae decepti non potest; [et] secundum dignitatem materiae, quae est principaliter de iis quae sua altitudine rationem transcendunt.

[Dignior] practicis, quia finis hujus est beatitudo aeterna, ad quam sicut al ultimum finem ordinantur omnes alii fines scientiarum practicarum.

Nota: Dubitatio quae accidit in aliquibus circa articulos fidei, non est propter incertitudinem rei, sed propter debilitatem intellectus humani, qui se habet ad manifestissimam naturae sicut oculus noctuae ad lumen solis, ut dicit Aristoteles.

Haec scientia accipit sua principia immediate a Deo per revelationem: utitur aliis scientiis tamquam ancillis, ad majorem manifestationem eorum quae tradit, non propter defectum aut insufficientiam ejus, sed propter defectum intellectus nostri, qui ex his quae per naturalem rationem cognoscuntur, facilius manuducitur in ea quae sunt supra rationem.

8344 [Art.] 6. - Utrum sit sapientia.

Deut. 4,6: Haec est nostra sapientia et intellectus, coram populis.

Est simpliciter et maxime sapientia, quia propriissime determinat de Deo, secundum quod est altissima causa, non solum quantum ad illud quod est per creaturas cognoscibile, (*Rom. 1,19*: Quod notum est Dei, manifestum est illis) sed etiam quantum ad is quod notum est sibi soli de seipso, et aliis per revelationem communicatum.

Nota: Haec doctrina supponit sua principia a scientia divina, a qua sicut a summa sapientia omnis nostra cognitio ordinatur.

Propria hujus scientiae cognitio est per revelationem, non per rationem; aliarum scientiarum principia non probat, sed indicat. Quidquid in aliis scientiis invenitur veritati hujus scientiae repugnans, totum condemnatum ut falsum. *2 Cor. 10,4 sq*: Consilia destruentes, et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei.

Secundum duplicem modum judicandi, [sacra doctrina] duplex [est] sapientia: per modum inclinationis, ut dicit Aristoteles: Virtuosus est mensura et regula actuum humanorum; [et sic] pertinet ad sapientiam quae ponitur donum Spiritus Sancti. *1 Cor. 2,15*: Spiritualis homo judicat omnia. Dionysius, *2 De divinis nominibus*: Hierotheus doctus est non solum discens, sed et patiens divina. - [Insuper sapientia] per modum cognitionis pertinet ad hanc doctrinam, secundum

quod per studium habetur, licet ejus principia ex revelatione habeantur.

8345 [Art.] 7. - Utrum Deus sit subjectum ejus.

Deus est subjectum hujus scientiae, quia omnia in ea pertractantur sub ratione Dei, vel quia sunt ipse Deus, vel quia habent ordinem ad Deum, ut ad principium et finem. Principia hujus scientiae sunt articuli fidei, quae est de Deo.

Nota: Utimur in hac doctrina effectum Dei vel naturae, vel gratiae, loco definitionis.

8346 [Art.] 8. - Utrum sit argumentativa.

Ad Tit. 1,9: Amplectentem eum qui secundum doctrinam est fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt, arguere.

Argumentatur non ad sua principia probanda, sed ad principia ad aliquid ostendendum. Disputat tamen ut superior, cum negante sua principia, argumentando si adversarius aliquid concedit revelatum; si vero nihil credat, solvere tantum potest rationes quas inducit contra fidem. Cum enim fides infallibili veritati innitatur, impossibile autem sit de vero demonstrari contrarium, manifestum et probationes quae contra fidem inducuntur non esse demonstrationes, sed solubilia argumenta.

8347 Nota: Argumentari ex auctoritate est maxime proprium hujus doctrinae, quia principia ejus per revelationem habentur, et sic oportet quod credatur auctoritati eorum quibus revelatio facta est. Nec hoc derogat dignitati hujus doctrinae, nam licet locus ab auctoritate quae fundatur super ratione humana sit infirmissimus, locus tamen ab auctoritate quae fundatur super revelatione divina, est efficacissimus.

8348 Utitur tamen etiam ratione humana, non quidem ad probandam fidem, (Jo. 20,31: Haec scripta sunt ut credatis - Ambrosius, l. 1 De fide catholica, c. 5, cf. t. 2,450 sq. nn. 40,41: Tolle argumenta ubi fides quaeritur. Gregorius Hom. 26 in Ev. t. 2,302/2 c: Fides non habet meritum ubi humana ratio praebet experimentum) sed ad manifestandum aliqua alia, quae traduntur in hac doctrina. Cum igitur gratia non tollat naturam, sed perficiat, oportet quod naturalis ratio subserviat fidei, sicut et naturalis inclinatio voluntatis obsequitur caritati. 2 Cor. 10,5: In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium fidei. Et inde est quod etiam auctoritatibus philosophorum utitur, ubi per rationem naturalem veritatem agnoscere potuerunt, sicut Paulus, Act. 17,28, inducit verbum Arati: Sicut et quidam poetarum vestrorum dixerunt: genus Dei sumus. Sed tamen hujusmodi auctoritatibus utitur quasi extraneis argumentis et probabilibus; auctoritatibus autem canonicae Scripturae utitur proprie et ex necessitate arguendo; auctoritatibus aliorum doctorum Ecclesiae, quasi arguendo ex propriis, sed probabiliter. Innititur enim fides nostra revelationi Apostolis et prophetis factae, qui canonicos libros scripsere, non autem revelationi, si qua fuit, aliis doctoribus

facta. Augustinus, ep. 19 ad Hieron. c. 1, alias 82,1,3 t. 2,190 F: Solis eis Scripturarum libris, qui canonici appellantur, didici hunc honorem deferre, ut nullum auctorem eorum in scrivendo errasse aliquid firmissime credam: alios autem ita lego ut quantalibet sanctitate, doctrinaque praepolleant, non ideo verum putem quod ipsi ita senserunt vel scripserunt.

8349 [Art.] 9. - Utrum sacra Scriptura uti debeat metaphoris.

Oseas, 12,10: Ego visionem multiplicavi eis, et in manibus prophetarum assimilatus sum.

Convenit sacrae Scripturae divina et spiritualia sub similitudinibus corporalibus tradere. Deus enim omnibus providet secundum quod competit eorum naturae: est naturale homini ut per sensibilia ad intelligibilia veniat. Dionys. c. 1 Coelestis Hierarc: Impossibile est nobis aliter lucere divinum radium, nisi varietate sacrorum velaminum circumvelatum.

8350 Scriptura sacra omnibus proponitur. *Rom. 1,14*: Sapientibus et inispientibus debitor sum, ut saltem vel sic, rudes eam capiant.

Nota: Haec doctrina ordinata est ad veritatis manifestationem, unde et manifestatoribus ejus premium promittitur. *Eccli. 24,31*: Qui elucidant me, vitam aeternam habebunt. Radius tamen divinae revelationis non destruitur propter figuras sensibiles quibus circumvelatur (ut dicit Dionysius c. 2 Coelestis Hierarch.) sed remanet in sua veritate, ut mentes quibus fit revelatio non permittat in similitudinibus permanere, sed elevet eas ad cognitionem intelligibilium, et per eos quibus revelatio facta est, alii etiam circa haec instruantur. Unde ea quae in uno loco Scripturae traduntur sub metaphoris, in aliis locis expressius exponuntur. Et ipsa etiam occultatio figurarum utilis est ad exercitium studiosorum, et contra irrisiones infidelium. *Matth. 7,6*: Nolite sanctum dare canibus.

8351 Magis convenit quod divina, in Scripturis tradantur sub figuris vilium corporum quam nobilium (Dionysius, c. 2 Coelestis Hierarch.); *primo*, quia magis liberatur humanus animus ab errore: manifestum enim apparet [quod] secundum proprietatem non dicuntur; *secundo*, quia veriorem nobis faciunt aestimationem quod Deus sit supra illud quod dicimus aut cogitamus: magis enim cognoscimus de Deo quid non est, quam quid est; *tertio*, quia magis occultantur indignis.

8352 [Art.] 10. - Utrum sacra Scriptura sub una littera habeat plures sensus.

Gregorius, 20 Moralium c. 1 t. 1,484/2 C: Sacra Scriptura omnes scientias ipso locutionis suae more transcendit: quia uno eodemque sermone, dum narrat gestum, prodit mysterium.

Habet plures sensus, quia auctor est Deus, in cujus potestate est ut ad significandum accomodet non solum voces, quod etiam homo facere potest, ([sensus] historicus [seu] litteralis) sed etiam res, quod est proprium hujus scientiae, qui super litteralem fundatur, et eum supponit ([sensus] spiritualis); et triplex est:

8353 1.- Secundum quod, *Hebr. 7,1 sqq*: Lex vetus figura est novae legis: [sensus] allegoricus.

2.- Secundum quod ea quae in Christo ut in capite sunt facta, vel in iis quae Christum significant, sunt signa eorum quae nos agere debemus. [Sensus] moralis, tropologicus.

3.- Prout vero significant ea quae sunt in aeterna gloria: nam dicit Dionysius in Coelesti Hierachia, quod nova lex est figura futurae gloriae? [Sensus] anagogicus.

8354 Etiam in una littera: quia sensus litteralis est quem auctor interdicit; Deus autem omnia simul suo intellectu comprehendit.

Nota: Nulla confusio sequitur in sacra Scriptura, cum omnes sensus fundentur super unum, scilicet litteralem, ex quo solo potest trahi argumentum; non autem ex iis quae secundum allegoriam dicuntur, ut dicit Augustinus, Epist. contra Vincentium Donatistam, c. 8,24 t. 2,241 D. Non tamen ex hoc liquid deperit sacrae Scripturae, quia nihil sub spirituali sensu continetur fidei necessarium, quod Scriptura per litteralem sensum alicui manifeste non tradat. Sensus parabolicus sub litterali continetur. Non est litteralis sensus ipsa figura, sed id quod est figuratum. Ex quo patet quod sensui litterali sacrae Scripturae nunquam potest subesse falsum.

8355 *Quaestio 2.* De Deo: an Deus sit.

[Sintesi]: 1. De Deo. 2. De motu rationalis creaturae in Deum. 3. De Christo, qui secundum quod est homo, via est nobis tendendi in Deum.

1. Quoad essentiam. 2. Distinctionem Personarum. 3. Processum creaturarum.

1. An Deus sit. 2. Quomodo sit. 3. De his quae pertinent ad operationem ipsius, scilicet scientia, voluntate et potentia.

8356 [Art.] 1. - Utrum Deum esse sit per se notum.

Ps. 52,1: Dixit insipiens in corde suo: non est Deus.

Per se notum est secundum se: quia praedicatum est idem cum subjecto: Deus est enim suum esse; non vero quoad nos: quia nos non scimus de Deo quid est: sed indiget demonstrari per ea quae sunt magis nota quoad nos, et minus nota quoad naturam: scilicet per effectus.

Nota: Cognoscere Deum esse in aliquo communi, sub quadam confusione est nobis naturaliter insertum, in quantum scilicet Deus est hominis beatitudo: homo enim desiderat naturaliter beatitudinem. Veritatem esse, in communi est per se notum: primam veritatem esse, non est per se notum quoad nos.

8357 [Aert.] 2. - Utrum Deum esse sit demonstrabile.

Rom. 1,20: Invisibilia Dei, per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur.

Demonstrabile est per effectus nobis notos; quia posito effectui, necesse est causam praexistere.

Nota: Deum esse, et alia huiusmodi quae per rationem naturalem nota possunt

esse de Deo, ut dicitur, *Rom. 1,20*, non sunt articuli fidei, sed praecambula ad articulos. Sic enim fides praesupponit cognitionem naturalem, sicut gratia naturam, et ut perfectio perfectibile. Nihil tamen prohibet illud quod secundum se demonstrabile est et scibile, ab aliquo accipi ut credibile qui demonstrationem non capit.

Per effectus non proportionatos causae, non potest perfecta cognitio de causa haberi, sed tamen ex quocumque effectu manifesto nobis potest demonstrari causam esse.

[Art.] 3. - Utrum Deus sit.

Ex. 3,14: Ego sum qui sum.

8358 [APPUNTI DI MORALE]

DE CONSCIENTIA

Synderesis [est] habitus principiorum moralium; conscientia, iudicium ex applicatione principii ad actum.

[Conscientia] vera [exprimit] iudicium verum; erronea, iudicium falsum; [et quidem] vincibiliter [si est] ex errore qui depellit potuit aut debuit: invincibiliter, [si] non potuit aut debuit.

[Principia]. Tenemur sequi conscientiam veram, [quae] dictat quod lex aeterna praescribit.

8359 Qui agit contra conscientiam, etiam erroneam, peccat quia non est in fide. *Rom. 14,2 sqq*: [Peccatum ejus est] in ea specie quam apprehendit: at non contrahit censuras, Et si non distinguit an mortale sit vel veniale, [peccat] mortaliter, [quia] vult interpretative mortale, vel ad illud se exponit.

Si conscientia sit erronea invincibiliter, tenemur ea sequi, quia deponi nequit; [si] vincibiliter, dictans aliquid esse licitum non licet eam; sequi, quia deponi debet; et si non potest [deponi] debes conteri de ignorantia praeterita: teneris tamen de damno, si quod sequatur.

8360 [Conscientia] perplexa, dictans esse peccatum sive actio fiat, sive

omittatur, deponi debet; quia tenemur [adhibere] medium necessarium ad vitandum peccatum; si deponi nequit, non peccas eligendo minus malum; si utraque pars appareat aequae mala, non peccas alterutram eligendo, quia deest libertas sufficiens ad peccandum.

[Conscientia] certa, excludit omnem rationabilem dubitationem et formidinem oppositi.

[Principia]. Requiritur ad non peccandum. *Eccli. 37,20*: Ante omnia opera verbum verax praecedat te, et ante omnem actum consilium stabile.

8361 Dubia [conscientia est] suspensio iudicii de bonitate vel pravitate actus individui, ob motiva utrinque aequalia.

Dubium [dicitur] juris, [si est] de obligatione legis [et distinguitur in] speculativum, seu generale, [et] practicum, seu particulare. [Dicitur] facti, [si est] circa aliquid factum.

Agere cum conscientia dubia est peccatum ejusdem speciei et gravitatis de quo dubitatur, *Rom. 14,2 sqq*, ut supra.

In dubiis, adhibenda [est] debita diligentia in veritate inquirenda; [debet quis] se resolvere prudenter; in dubio tutior pars [est] eligenda ubi altera pars longe probabilior; [alias] etiam minus tuta eligi potest.

8362 [Conscientia] scrupulosa [est] opinio peccati ex inani motivo, cum anxietate. Laxa.

Causae: internae, corporis et animi; externae, hominis et daemonis.

Remedia: Oratio et pietatis opera; fuga peccatorum; sapientes intueri; obedientia; non ad singula directorem adire; cavere otium et vagas cogitationes; scrupolos expugnare; destruere causas.

8363 [Conscientia] probabilis, iudicat acutum licitum vel illicitum ex comparatione conjecturarum, praeferendo rationabiliores. Tuta, removet a periculo peccandi; tutior, magis removet [et] stat pro praecepto; minus tuta, minus removet, [et] stat pro libertate.

[Principia]. Non licet sequi [sententiam] minus probabilem et minus tutam: Ex propositione damnata ab Innocentio XI.

Non licet sequi aequae probabilem minus tutam. In dubiis tutior pars est eligenda. c. 4 De Cleric. exc.

Non licet sequi probabiliorem minus tutam, ubi ignorantia invincibilis et major probabilitas non juvat ad obtinendum finem quem procurare tenemur,

1) in iis quae sunt de necessitate medii, vel requiruntur ad validam administrationem et susceptionem Sacramentorum;

2) ubi agitur de sanitate corporis, victoria in bello et iudicio, de vitando damno proximi quod cavere tenemur ex iustitia vel caritate;

3) ubi ex conventionem, voto, praecepto quis obligatur.

Licet sequi longe probabiliorem minus tutam, ex propositionibus damnatis ab Alexandro VIII.

Licet sequi unice probabilem minus tutam, quia potest prudenter judicari actionem esse licitam.

8364

DE LEGIBUS

Sectio 1: [De legibus] in communi.

Lex [est] praeceptum commune, honestum, justum, perpetuum, ad bonum commune a rectore communitatis et sufficienter promulgatum.

Praeceptum, [quod est] a persona privata ad bonum privatum, expirat morte praecipientis.

Lex obligat ex communi.

Dividitur in divinam (aeternam - naturalem - positivam: [et haec in] veterem [et] novam) [et] humanam (ecclesiasticam - civilem).

8365 *Sectio 2:* De lege divina.

Aeterna [est] ratio divina, vel voluntas Dei ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans; S. Augustinus, lib. 22 Contra Faustum, *cap. 27, t. 8, 378 G.*

Naturalis, [est] participatio legis aeternae in rationali creatura. Praecipit ut semper fiant actus honesti et boni ex objecto, fine, modo, circumstantiis. *1 Cor. 1,40:* Omnia oneste et secundum ordinem fiant. Non potest mutari proprie, quia est necessaria; sed mutari possunt a Deo circumstantiae illius materiae; hinc Deus non dispensat proprie, sed improprie, in iis praeceptis quorum materia subest ejus dominio.

Positiva [est] exterius promulgata. Mere positivae, praecipiens ea quae lex naturalis non statuit.

8366 *Sectio 3.* De Lege humana.

Jus gentium: omnium gentium non et consuetudine introductum.

Caput. 1. De causa efficiente et materia.

Leges Ecclesiasticas ferunt:

Papa, pro tota Ecclesia.

Concilium generale, nationale, provinciale.

Legatus Apostolicus, pro sua provincia.

Episcopus pro sua dioecesi, modo sit confirmatus.

Habentes jurisdictionem quasi episcopalem.

Ordines religiosi in capitulo generali.

Civiles: Imperator, Princeps, seu respublica, pro suis ditionibus.

Nemo potest ferre leges nisi suis subditis, et de rebus suo regimini subjectis.

8367 Lex humana nihil potest statuere contra divinam. *Act. 5,29*: Obedire oportet Deo magis quam hominibus. Potest multa statuere quae lex divina non statuit. Rei quae est propter finem forma determinatur secundum proportionem ad finem. S. Th. 1-2, 95,3. Hinc non potest omnibus praecipere actus virtutum etiam heroicis, nisi bonum commune aliquem exigeret; quia non esset communi hominum conditioni accomodata; sed potest praecipere actus communes virtutum, et prohibere actus vitiorum, secundum necessitatem boni communis. Superior potest obligare quamdiu ipse iudicat se posse, et non est evidens eum falli. Commune bonum in recta gubernatione id postulat.

8368 Potest praecipere actus internos necessarios ut actus externi sint in tali specie morali, ex Bulla Clementis XI. "Vineam Domini Sabaoth". Ecclesia potest praecipere actus internos necessarios ut actus externi sint honesti: ex propositione damnata ab Innocentio XI, De Communione annua sacrilega. Potest praecipere actus internos necessarios ut actus externi sint talis honestatis, seu virtutis.

Secundum multos, Ecclesia potest praecipere actus mere internos, quia potestas Ecclesiae est spiritualis, et immediate [directa] ad salutem animarum.

Lex ponit rem praeceptam in ea virtute ex cuius motivo etiam extrinseco praecipitur, si superior declaret se ex illo motivo praecipere et velle obligare, [quia] omnis actus specificatur a fine.

Qui violat legem humanam de actu virtutis alicujus peccat contra obedientiam et contra virtutem illam.

8369 *Caput 2. De obligatione*

Principes saeculares et ecclesiastici, per suas leges obligare possunt in conscientia. *Rom. 13,5*: Subditi estote... propter conscientiam. *Hebr. 13,17*: Obedite praepositis vestris.

[Lex] obligat sub mortali, ed gravitate materiae et intentione superioris, quod cognoscitur ex fine gravi, ex magna utilitate ad illum finem, ex gravitate verborum et poenae, ex iudicio prudentum et consuetudine; quia potestas humana commensurata est materiae gravitati.

[Lex] obligare potest sub levi in materia gravi: ex nonnullis Constitutionibus Religionum a Sede apostolica approbatis.

8370 In praesumptione periculi semper obligat, quia semper subsistit ejus ratio; in praesumptione facti, eo non subsistente non obligat.

Ordinarie non obligat cum gravi damno extrinseco (David comedit panes propositionis, *Matth. 12,3 sqq*), hoc est nisi adsit contemptus legitimae potestatis, vel religionis, aut grave scandalum, aut periculum sit per se conjunctum actioni praeceptae gravi et necessariae ad bonum commune.

Requiritur sufficiens promulgatio, ex communi [sententia]. Nulla certa

solemnitas determinatur a jure naturali, sed jure positivo; quod hoc servandae sunt leges, consuetudines, Principis voluntas. Lex in uno loco promulgata, in alio non obligat, nisi postquam notitia promulgationis ordinario modo pervenire potuit.

Leges Papae Romae promulgatae, obligant in provinciis. [Sententia haec] est magis communis.

Non requiritur populi acceptatio, ex propositione damnata ab Alexandro VII.

8371 *Caput 3. De Modo observandi leges.*

Ad satisfaciendum praecepto negativo, nulla requiritur intentio; affirmativo autem sufficit implicita: scilicet in voluntate faciendi opus praeceptum; [quia] lex tantum praecipit ut actus voluntarie fiat.

Debet intendi finis et modus intrinsecus praecepti; non autem extrinsecus, nisi praecipiat; [quia] distinguitur a praecepto.

Qui exequitur praeceptum per actum cui deficit honestas ex fine vel circumstantiis, si ea honestas non sit essentialis actui externo, nec praecepta, satisfacit praecepto, quia ponit id totum quod praecipitur.

8372 Per eundem actum non satisfit pluribus praeceptis, nisi constet de intentione superioris, vel prudenter praesumatur, quia praecipiens aliquid, censetur exigere aliud quam quod jam praeceptum est.

Eodem tempore satisfit pluribus praeceptis per plures actus, si unus non impediatur alterum; quia ponitur id totum quod praecipitur.

Qui ponit impedimentum directe impletioni legis, vel indirecte ponit, aut non removet impedimentum cum potest, eo tempore quo urget praeceptum, vel multo tempore ante, si tantam diligentiam exigit materiae gravitas, peccat; quia praecipiens finem praecipit cum proportionem media necessaria.

Qui nequit totum praeceptum implere, tenetur partem, si sit de re divisibili: ex propositione damnata ab Innocentio XI, De honoris canonicis.

Quando occurrunt duo praecepta quae simul servari nequeunt, per se majus est observandum.

8373 *Caput 4. De subiecto legum.*

Omnes et soli adulti subditi [sunt]. Hinc:

Pueri post septennium tenentur praeceptis eis congruentibus. - Ebrii et ad breve tempus delirantes, tenentur praeceptis. - Infideles, si divinis, ecclesiasticis praeceptis non tenentur; haeretici ad utraque.

Exempti non tenentur legibus territorii ex vi illarum; sed ex jure communi Tridentini tenentur servare censuras et festos; ex jure naturali se conformare in iis quae suis privilegiis non adversantur.

Legislator non tenetur legibus suis, vel praedecessorum ex vi illarum, sed jure naturali, in iis quae conveniunt sibi et subditis.

8374 Clerici obligantur legibus civilibus quae non repugnant canonibus et

officio clericali, ne confusio et perturbatio in republica oriatur.

Peregrini non obligantur legibus sui territorii, vel etiam juris communis, quando in eo loco versantur ubi ubi eae non vigent, modo non absint in fraudem, et delictum aut damnum non censeatur moraliter factum intra suum territorium.

Qui abit in locum ubi lex non obligat, tenetur illam implere antequam exeat, si praevideat illam impleri non posse in alio loco, ex praxi timoratorum.

Peregrini tenentur servare leges et consuetudines etiam speciales loci in quo morantur, etiam ad breve tempus, et secluso scandalo. Turpis omnis pars suo universo non congruens, *S. Augustinus 3 Confess. c. 8, 15 t. 1, 93 F.*

8375 *Caput 5. De interpretatione.*

[Interpretatio] authentica [procedit ex] auctoritate legislatoris, [et] habet vim legis.

Usualis [procedit] ex communi usu et consuetudine.

Doctrinalis [exponitur] per homines doctos.

Simplex [illa est] qua explicatur ambiguitas verborum.

Per aequitatem, [seu] epikiia [illa est] qua interpretamur casum particularem non comprehendi.

8376 *Regulae ad interpretationem doctrinalem:*

Accipienda sunt verba proprie, nisi alias lex injusta, absurda, inutilis evaderet.

Correctio, quoad fieri potest, vitanda.

Ambigua ex antecedentibus, consequentibus, materia, circumstantiis, legibus similibus, praesertim ex fine explicanda.

Odia restringi, favores convenit ampliari.

Lex generalis omnia significata propria comprehendit.

Optima legum interpres consuetudo.

Cum lex frequentioris usus causa aliquid loquitur, causam minus frequentem non excludit, sed comprehendit.

Non semper ob paritatem rationis [lex] debet extendi, nisi injustitia vel absurditas sequeretur; [item extenditur] in correlativis, in aequiparatis et connexis; in casibus in quibus clare occurrant eadem ratio quae a lege exprimatur; in judiciis.

Licet uti epikiia quoties evidens est ex executione litterali aut absurdum, aut grave damnum consequi publicum vel privatum, saltem si adiri nequeat superior: in dubiis autem, si nequit consuli superior, servanda est lex.

8377 *Caput 6 De dispensatione*

[Dispoensatio ets] relaxatio obligationis legis ad tempus.

Ordinaria potestatem dispensandi habet legislator aut successor.

Ut licite quis dispenset, requiritur justa causa, scilicet pietas, necessitas, utilitas communitatis aut privata, quae non sit in damnum aliorum.

Dispensatio sine justa causa valida est si a superiore detur; secus si ab inferiore

et delegato, quia lex pendet a voluntate legislatoris.

Utens dispensatione valida sine justa causa obtenta, peccat si certo ei constet; et cessante causa dispensationis, usus ejus est illicitus, quia adhuc tenetur lege naturali, praecipiente conformitatem in ordine communi; non incurrit tamen censuras et poenas lege humana latas.

8378 Ex parte petitionis invalida est si sit subreptitia (reticendo quod exprimi debet) vel obreptitia (exponendo falsum, scilicet quoad causam finalem). Ita Innocentius III.

Nulla est dispensatio, si causa finalis cesset, tempore quo conceditur a legislatore, vel executioni mandatur a Commissario, vel [si causa cesset] ante illius usum, si agitur de praecepto, et juxta multos, de impedimento; vel etiam [si cesset] post usum, si dispensatio habeat effectum successivum, nec sit de impedimento, irregularitate, inhabilitate.

8379 [Caput] 7. De abrogatione et cessatione [legis].

Abrogatur valide [lex], etiam sine justa causa, a legislatore per revocationem, desuetudinem a superiore approbatam, vel legitime praescriptam, per aliam legem contrariam, nisi haec sit generalis, sine expressa mentione, vel clausula saltem generali, expresse derogatoria.

Lex cessat: elapso tempore ad quod lata est; quando evadit injusta aut inutilis, quando cessat causa finalis, respectu totius communitatis.

8380 [Caput] 8. De lege poenali et irritante.

Extant leges poenales mixtae, [quae] continent duo praecepta: scilicet faciendi vel omittendi aliquid, et subeundi poenam, si reus fiat; et [extant

leges] pure poenales, [quae] continent unum praeceptum disjunctivum.

Reus tenetur subire poenas ipso facto latas, ante omnem sententiam, tum passivas, tum privativas, tum activas moderatas; si enim acerbae admodum sint et difficiles, non tenetur, nisi addantur aliae voces plus significatives. Communis usus sic leges tales interpretatur.

8381 Ignorantia excusans a culpa, excusat a poena proprie dicta; excusans a mortali excusat a poena gravi; non excusans a gravi non excusat a poena, nisi lex dolum aut scientiam requirat.

Ignorantia invincibilis solius poenae, non excusat a poena, quae saltem non sit censura.

Ignorans inculpabiliter solam legem humanam, non divinam, regulariter non excusatur, scilicet nisi sint censurae, vel poena extraordinaria sit quae minui debet.

Lex irritans, statuit actum aliquam esse invalidum. Ignorantia invincibilis non impedit iritationem actus factam immediate, propter bonum commune.

Lex irritans et prohibens actum, obligat ad illum vitandum.

Lex irritans ipso facto, obligat ad omnia per se consequentia.

8382 [*Caput*] 9. De privilegio et consuetudine.

Privilegium [est] facultas perpetua agendi contra vel praeter legem.

[Privilegium] reale, affixum [est] rei; personale, affixum personae; contra legem, [est] exemptio ab oneribus communibus; praeter legem, alios non gravat. Prius [scilicet contra legem] est odiosum, nisi sit in favorem causae piae, aut communicatis religiosae.

Privilegium concedere potest legislator suis subditis, et aliis non subditis, in materia sibi subjecta. In generali concessione non veniunt ea quae quis non esset verisimiliter in specie concessurus. Reg. 81 in 6.

Privilegium amittitur per illius abusum, accedente sententia iudicis; per non usum, spatio sufficiente ad praescribendum, si gravet alios; per revocationem expressam et privilegiato significatam, vel per legem revocatoriam promulgatam. Non cessat morte concedentis; at cessat per se, cessante causa finali, si sit circa obligationem dividuam.

8383 Consuetudo [est] frequentia actuum externorum similium, libere factorum a majore saltem parte communitatis. [Datur consuetudo] facti, [et] juris. [Haec est] jus quoddam moribus institutum, quod pro lege suscipitur, cum deficit lex.

Habet vim legis consuetudo, si sit honesta et bono communi utilis; inducta libere et publice a communitate; cum animo inducendae obligationis; accedente consensu Principis, personali vel legali.

Consuetudo abrogat legem humanam, si sit rationabilis et legitime praescripta.

Consuetudo etiam immemorabilis abrogatur per legem contrariam subsequenter; si autem sit consuetudo particularis, requiritur mentio specialis, aut clausula generalis: non obstare quaecumque... etc.

8384

DE PECCATIS

[*Caput*] 1. - Natura, divisio, distinctio, gravitas.

[Peccatum est] legis divinae violatio libera.

Excusat a peccato quidquid tollit voluntarium (ignorantia invincibilis), liberum (impotentia phisica), aut utrumque (metus, vel passio antecedens, tollens usum rationis).

Metus levis non excusat; gravis non [excusat] in lege naturali, sed in lege humana, quae per se non obligat cum gravi damno.

8385 Dividitur in: originale et personale; mortale et veniale; commissionis et omissionis; actuale et habituale; contra Deum, proximum, seipsum; ignorantiae, infirmitatis et malitiae; septem capitalia.

Distinguitur species: ex violatione praeceptorum specie diversorum; ab objecto,

fine et circumstantiis quae specialem habent disconvenientiam cum ratione et lege divina.

Distinguitur numerus: ex numero objectorum totalium, vel actionum ex se completarum, vel quae inter se non uniuntur, et per interruptionem moralem.

8386 Actio contra plura praecepta subordinata et connexa, quae idem objectum per se spectent, ex eodem motivo proximo [constituit] unicum peccatum, sed gravius si pluribus titulis [opposita actio] praecipiat.

Gravitas petitur ab objecto, fine, circumstantiis, prout discoveniunt [est] legi; ab excellentia virtutum vel actuum earum, quibus per se et directe peccatum opponitur; a modo oppositionis eidem virtuti, quia oppositio contraria peior est privata.

Effectus malus vel noxius imputatur peccanti, si fuerit praevius, vel potuerit ac debuerit praevideri, etiamsi ante eventum retractetur causa.

Reus quis efficitur peccati alieni tot modis quibus cooperatur.

8387 [*Caput*] 2. - De mortali et veniali.

Mortale [est] gravis offensa Dei, privans gratia sanctificante; veniale, levis offensa Dei, [quae] impedit fervorem caritatis.

Ad mortale requiritur ex parte objecti aliquid grave, saltem ex fine; advertentia et consensus perfectus.

Sufficit voluntarium indirectum, vel interpretativum; item advertentia virtualis et interpretativa malitiae aut periculi.

In dubio praesumitur quis non consensisse: ex bona habitudine; si opus non perfecit cum populo; si non perseveravit motus exterior; si dubitet utrum fuerit sui compos aut vigilans.

8388 Est mortale velle aliquid graviter illicitum ob finem bonum. Non sunt facienda mala ut veniant bona, Rom. 3,8.

Mortale pensandum [est] ex iudicio divino, scilicet ex fontibus theologicis. [Mortale dicitur] ex genere suo, cuius materia potest esse gravis; ex toto genere, cuius materia numquam est levis.

Mortale ex genere suo fit veniale: ob levitatem materiae; ob imperfectionem actus, scilicet intellectus et voluntatis.

Veniale, seu actus indifferens, fit mortale per accidens: ex errore conscientiae; ex affectu graviter deordinato; ex fine mortaliter malo; ex gravi damno vel scandalo; ex periculo incidendi in mortale; ex contemptu formali praecepti vel superioris.

Venialia multiplicata non faciunt per se unum mortale, nisi eorum materiae vel effectus uniantur.

Multa venialia, si negligantur et continuentur, sensim disponunt ad mortale indirecte, removendo prohibens; positive, disponit ad gravem inobedientiam.

8389 [Caput] 3. - De peccatis commissionis et omissionis.

Differunt moraliter inter se, saltem secundum gravitatem.

Species et gravitas omissionis aestimatur a specie e bonitate actus praecepti.

Actus cum omissione conjunctus, si sit causa, finis, medium, occasio, contrahit ejus malitiam.

Peccatum omissionis admittitur: externum eo tempore quo urget praeceptum; internum, cum quis vult expresse, vel ecc. omissionem. [Item] quando ponit causam ex qua praevidet probabiliter secururam omissionem, aut scienter seu cum inadvertentia culpabili se exponit periculo omissionis; quando reipsa omittit actum praeceptum, probabiliter etiam peccat si non retractet ejus causa culpabilem cum potest.

8390 [Caput] 4. - De ignorantia et ejus peccatis.

Ignorantia, late [sumpta est] carentia cognitionis; stricte [sumpta, est] carentia cognitionis debitae; invincibilis [est] quae depelli non potest; antecedens, nullo modo [est] volita [et insuper] est causa actionis; concomitans, non est volita, nec est causa actionis: consequens, [est] volita directe vel indirecte: quandoque est causa actionis; juris; facti; negativa [est] mera privatio cognitionis, absque judicio falso; positiva: error [est] seu judicium falsum de aliqua re; habitualis; actualis melius [dicitur] inadvertentia, inconsideratio etc.

8391 Ignorantia vincibilis est peccatum. *Ps. 24,7*: Ignorantias meas ne memineris.

Actio contra legem ex ignorantia vincibili, vel cum ea, peccatum est, et ejusdem speciei cujus est malitia ignorata. *Luc. 23,34*: Dimitte illis: non enim sciunt quid faciunt.

Vincibilis non affectata, minuit malitiam: affectata auget.

Invincibilis legis, etiam naturalis, excusat a peccato formali: ex propositione damnata ab Alexandro VIII.

Non datur ignorantia invincibilis juris naturalis, circa prima principia morum, neque circa praecepta per se nota, vel quae facile ex per se notis colliguntur; datur ignorantia invincibilis in aliquibus, circa quaedam praecepta particularia valde remota a principiis. Constat experientia.

Idem dicendum de ignorantia actuali, scilicet inadvertentia, inconsideratione, oblivione.

8392 [Caput] 5. - De concupiscentia et peccatis infirmitatis, malitiae et habitus.

Concupiscentia consequens peccatum est; antecedens, accedente consensu imperfecto [peccatum est] veniale: perfecto, mortale. Nullo accedente consensu, nullum peccatum [est].

Passio antecedens non tollens usum rationis, minuit tantum peccatum; consequens auget.

Peccatum ex infirmitate [est] quod [provenit] ex passione antecedente: ex malitia [quod oritur] ex pura electione. Peccatum ex infirmitate gravius [est] quam [peccatum] ex ignorantia non affectata; [peccatum] ex malitia gravissimum omnium [est].

Peccata ex consuetudine, quam quis retractare non curat, aequivalent peccatis malitiae.

Implicatus consuetudine, tenetur illam efficaciter retractare et emendare.

8393 [Caput] 6. - De peccatis mere internis.

Desiderium etiam inefficax rei vel actionis malae, eadem habet cum ea gravitatem et speciem malitiae. *Os. 9,10*: Facti sunt abominabiles, sicut ea quae dilexerunt.

Actus externus non auget per se malitiam actus interni, sed per accidens.

Desiderium rei vestitae conditionatum, per se non est mortale, si conditio aufert saltem gravem malitiam. Delectatio appetitus sensitivi de objecto graviter malo, est mortalis, etiam sub conditione sub qua licitum est.

Praecepto: non concupisces, prohibentur desiderium et complacentia objecti seu actus mali; consensus pravis concupiscentiae motibus; desiderium habendi quodvis bonum proximi.

8394 Delectatio morosa de objecto malo, peccatum est secundum speciem et malitiam objectivam. *Sap. 1,3*: Perversae cogitationes separant a Deo. Hinc peccat mortaliter qui delectatur de actu malo mortali qui a culpa excusatur ratione ignorantiae etc.; non est autem per se peccatum delectatio de solo modo artificioso patrandi malum.

Per se licet gaudere de effectu bono secuto ex peccato, non tamen prout est a peccato.

Delectatio de sola cognitione rei graviter illicitae non est mortale, modo absit periculum consensus; nec [est] veniale si sit utilis vel necessaria.

8395 [Caput] 7. - De peccatis capitalibus.

1.- De superbia.

[Est] inordinata cupiditas propriae excellentiae, est mortalis ex genere suo. *Prov. 8,13*: Deus arrogantiam et superbiam detestatur.

Remedia generatim [ea sunt] quae humilitatis adjumenta. Speciatim: Humilitatem petere; consideratio suae vilitatis practica; meditari superbiae poenas, humilitatis praemia, exempla Christi; omnia sua opera actu in Deum referre et humilia opera exercere.

8396 Filiae [ejus sunt] tres:

Praesumptio, [seu] inordinata cupiditas faciendi aliquid facultatem suam excedens; ambitio [seu] inordinata cupiditas honoris, dignitatis, potentiae; vanagloria, [sive] inordinata cupiditas humanae existimationis ac laudis.

[Vanagloriae] filiae [sunt] septem: Inobedientia, scilicet formalis, ex contemptu, mortalis semper; jactantia, [sive] inordinata sui praedicatio; hypocrisis, [quae est] simulatio virtutis; pertinacia, [sive] perseverantia in propria sententia contra veritatem cognitam, vel sufficienter propositam; inventio seu praesumptio novitatum; contentio; discordia.

8397 2.- De Avaritia.

[Est] inordinata cupiditas divitiarum.

Filiae [ejus sunt] sex: Obduratio cordis; inquietudo cordis; violentia; fallacia, seu dolus et fraus; perfidia, [sive] fidei violatio in promissis, pactis, rebus creditis; proditio, scilicet rei, personae, secreti.

8398 3.- De gula.

[Est] inordinatus appetitus vel usus cibi aut potus, mortalis ex genere.

Remedia: Considerare damna et brevitatem delectationis; vitare occasionem; sectari in omnibus temperantiam; subtrahere sibi aliquid in mensa.

Ebrietas, [sive] excessus in potu usque ad voluntariam privationem rationis, mortalis est. Mala ex ebrietate secuta, vel probabiliter secutura, si praevideri potuerint, imputantur. [Ebrietatis] filiae: hebetudo mentis, inepta laetitia, multiloquium, scurrilitas.

8399 4.- De luxuria.

[Est] inordinatus appetitus vel usus venereorum, aut voluptatis venereae, mortalis ex genere. *Gal. 5,21*: Qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.

(A questo punto è cancellata la rimanente parte dell'8399 e numeri successivi [vecchia numerazione] fino al nr. 8400).

8400 5.- De ira.

[Est] inordinatus appetitus vindictae, ex parte objecti mortalis, in modo irascendi non per se mortalis.

Filiae [irae sunt]: Indignatio, [sive] animi commotio contra alium, ob malum acceptum, quia hoc indignum reputato; tumor mentis, [seu] aestus animi excogitantis diversas vindictae vias; clamor; blasphemia; contumelia; maledictum; rixa; pugnae; seditiones; vulnera; homicidium.

Remedia praecipua: Considerare quam sit injusta et perniciosa; orare, meditari mansuetudinem Christi; nihil agere et loqui ex, vel in motu irae; impedire irae motum et excitatum reprimere; exercere frequentes actus caritatis, mansuetudinis, patientiae, humilitatis.

8401 6.- De invidia.

[Est] tristitia de bono proximi, quatenus aequare vel superare videtur bonum proprium.

[Ejus] filiae [sunt]: Odium; detractio; gaudium de malis proximi; susurratio, [quando placet] sine justa causa referre alicui aliquid aptum ad dissolvendam amicitiam. *Eccli. 28,15*: Susurro maledictus.

Remedia, praeter orationem: Considerare invidiae inutilitatem et damna, caritatis autem emolumenta; gaudere saepe de bono proximi; gratificari ei cui invidet, illum laudare, orare pro eo et gratias agere Deo; humilitas et contemptus gloriae ac honoris humani.

8402 7.- Acedia.

Late [sumpta est] tedium de exercitio virtutu, propter difficultatem adjunctam, mortale ex genere. Stricte [sumpta est] tedium de divina amicitia, propter difficultatem illius obtinendae et conservandae, per se mortale.

Filiae [acediae sunt] malitia, qua quis odit bona spiritualia, vel poenitet bonum fecisse, vel contemnit Dei beneficium ob difficultatem etc.; pusillanimitas; desperatio; rancor, [seu] indignatio adversus eos qui ad virtutum opera et fervorem inducunt; torpor quo bonum omittitur, vel negligenter fit; evagatio mentis in oratione et aliis spiritualibus exercitiis.

Remedia: Oratio; omnia religionis et pietatis exercitia; quotidiana meditatio, lectio librorum spiritualium; quotidiana auditio Missae; frequens confessio et communio; temperantia, fuga otii, maceratio carnis etc.

8403 DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.

Virtus [est] habitus inclinans ad rectam operationem et perficiens subjectum. [Virtus] intellectualis, inclinatur ad actum verum; voluntatis, inclinatur ad actum honestum; theologica, habet ipsum Deum pro objecto materiali immediato, saltem primario, et aliquam ejus perfectionem pro objecto formali, saltem principali; moralis...

8404 Pars 1. DE FIDE

[Caput] 1. De natura et necessitate fidei.

[Fides] actualis, [est] assensus supernaturalis, firmus, rebus a Deo revelatis, propter Dei veracitatem. Habitualis, [est] habitus per se infusus elicivus cum auxilio gratiae, actuum fidei.

Adultis, necessitate medii, credendum est explicite, actu supernaturali, Deum existere, providere salutem hominum, et justos remunerari vita aeterna. Nunc ab Evangelii promulgatione, necessaria est similiter fides explicita Incarnationis, item SS. Trinitatis, insuper fides implicita et generalis omnium quae Deus revelavit, et Ecclesia credenda proponit.

8405 Extat praeceptum speciale fidei. *Marc. 1,15*: Credite evangelio; ideoque credendi explicite, et addiscendi mysteria Trinitatis et Incarnationis, symbolum, saltem quoad substantiam et sensum, sacramenta, saltem suscipienda et sacrificium Missae, Dei et Ecclesiae praecepta et obligationes proprii status, orationem dominicam. Ex praecepto autem Ecclesiae et consuetudine, tenentur omnes scire memoriter Symbolum, decalogum, orationem dominicam, modum formandi signum crucis; idem videtur ex consuetudine de salutatione angelica.

8406 Praeceptum fidei affirmativum obligat per se ad actum fidei: initio usus rationis, ubi fides sufficienter est proposita; in quolibet probabili periculo mortis; saepe in vita; cum gravis tentatio contra fidem urget, quae superari non posse videatur nisi per contrarium actum fidei; quando profitenda est fides; quoties quis in haeresim vel dubitationem voluntariam lapsus est. Per accidens: urgente gravi tentatione contra aliquam virtutem, quae sine actu fidei superari non posse videatur; quoties ex praecepto eliciendus est actus aliarum virtutum; in justificatione peccatoris adulti.

8407 [*Caput*] 2. De actu externo [fidei].

Extat praeceptum contitendi exterius fidem suo tempore. *Rom. 10,10*: Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.

Obligat etiam cum vitae damno, quoties per ejus omissionem subtraheretur honor Deo debitus, vel utilitas proximo impendenda. *Luc. 9,26*: Qui ne erubuerit et meos sermones, hunc filius hominis erubescet.

Nunquam licet exterius negare fidem, ad vitandam mortem et dira supplicia. *Matth. 10,33*: Qui negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo.

Nunquam licet falsam religionem simulare verbis aut factis.

8408 Non licet occultare fidem, quoties praeceptum eam confitendi urget. Interrogatus a potestate publica tenetur clare confiteri fidem, etiam cum vitae periculo; idem si a persona privata, saltem si silentium aequivaleat negationi. Licet christiano fugere, vel se occultare tempore persecutionis, si ex ejus fuga nullum detrimentum vel scandalum oriatur. *Matth. 10,23*: Cum persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam.

Nota: Seclusa necessitate vel utilitate fidei et proximi, confessio fidei publica est illicita, si quis temere se exponat periculo suppliciorum, quae ferre non poterit: [item] si per eam detur infidelibus occasio peccandi, fidemque persequendi.

8409 [*Caput*] 3. De peccatis fidei oppositis.

[Sunt] tria: infidelitas, haeresis, apostasia.

Infidelitas [est] carentia fidei.

[Est] negativa in eo qui de fide nihil audivit. Non est peccatum, sed poena.

[Est] privativa, in eo qui fidem non vult audire, vel sufficienter propositae non

assentitur. *Jo. 3,18*: Qui non credit jam iudicatus est.

Positiva, seu contraria, [est] in eo qui fidei sufficienter propositae dissentit, vel negando veritatem fidei, vel errorem fidei contrarium asserendo: scilicet paganismus, quo fides totaliter rejicitur, item atheismus et mahumetismus, judaismus, quo novum testamentum rejicitur, haeresis, qua novum testamentum [rejicitur] ex parte.

8410 Infideles baptizati possunt cogi ad fidem catholicam suscipiendam, et servandas leges ecclesiasticas; non baptizati directe non possunt. Ecclesia potest per Principes Christianos compellere infideles ut non impediunt praedicationem evangelii, quia habet jus praedicandi evangelium omni creaturae. *Marc. 16,15*.

Non licet in divinis communicare cum infidelibus; licet autem in civilibus, secluso periculo perversionis et scandali. Jure tamen canonico vetitum est omnibus christianis ne cum Judaeis habitent, comedant, in balneo laventur, ipsis famulentur, et ab eis medicinam accipiant, ne officia publica iis committantur, ob dignitatem religionis christianae, et perversionis periculum.

8411 Disputatio fidei cum haereticis prohibita est omnibus laicis, ex jure canonico. Jure naturali prohibita est cuilibet indocto, etsi clerico; omnibus illicita est coram catholicis indoctis et simplicioribus.

Haeresis [est] voluntarius error contra aliquam fidei veritatem, cum pertinacia, in eo qui christianismum profitetur.

Dubius in fide [est quasi] haereticus.

Poenae contra haereticos [sunt]: Excommunicatio ipso facto: sufficit haeresis occulta, modo sit externa; irregularitas, infamia juris, si sit notoria; privatio beneficiorum et dignitatum, item jurisdictionis spiritualis; bonorum confiscatio; privatio sepulturae ecclesiasticae, et excommunicantur qui scienter sepeliunt. Credentes, receptatores, defensores, fautores haereticorum, ipso facto excommunicantur.

8412 Lectio libri haeretici, jure naturali prohibita est iis omnibus quibus imminet periculum; lectio autem et retentio prohibita est sub excommunicatione a jure canonico.

Apostasia a fide [est] recessus a fide christiana post baptismum suscepta; [apostasia] ab obedientia [illa est] qua quis justis superiorum praeceptis obedire recusat; ab ordine [illa] qua sacro ordine initiatus deserit abitum clericalem; a religione, [est] recessus a statu religioso ad saeculum, dimisso habitu religionis, vel cum animo non redeundi.

8413 Pars 2. DE SPE.

[Spes] actualis [est] fiducia certa obtinendi beatitudinem, per media a Deo

statuta.

Continet duos actus: desiderium beatitudinis, cujus objectum formale [est] bonitas Dei relativa: confidentia contra difficultates, cujus objectum formale [est] virtus Dei auxiliatrix.

Objectum materiale primum [est] Deus possidendus; secundarium [sunt] media a Deo instituta (gratia - bona opera - bona temporalia).

Ad eam pertinet timor privationis Dei, non ex parte Dei, sed ex parte nostri.

[De spe] datur speciale praeceptum. *Ps. 4,6*: Sperate in Domino. Obligat per se et per accidens, sicut praeceptum fidei.

Peccata opposita [sunt]: Desperatio, [seu] diffidentia obtinendi beatitudinem, vel media [ad eam]; praesumptio, [sive] inordinata fiducia obtinendi a Deo beatitudinem aliter quam ipse statuit; incuria salutis, [sive] animi abjectio, qua quis vellet bonis terrenis perpetuo frui. Per se sunt mortalia, quia opponuntur virtuti theologiae.

8414 Pars. 3. DE CARITATE.

[Caput] 1. De natura caritatis.

[Caritas] actualis [est] actus amoris benevolentiae, quo Deum super omnia et propter se, et nos ipsos et proximum sicut nos ipsos propter Deum, efficaciter diligimus.

Deo velle debemus bona, tum intrinseca, [scilicet] perfectiones quas habet, per modum complacentiae; tum in extrinseca [quae sunt] gloria in cognitione et cultu creaturae, per modum desiderii efficacis.

Est virtus excellentissima, quia attingit Deum modo perfectissimo, scilicet propter seipsum.

Actus proprii, [sunt]: Amor, benevolentia, affectus unionis, complacentia de perfectionibus divinis, desiderium ejus gloriae etc., odium et dolor circa malum bono, divino contrarium.

8415 [Caput] 2. De praecepto caritatis.

1.- De praecepto caritatis erga Deum.

Extat praeceptum speciale. *Matth. 12,7*: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo etc. Prout affirmativum obligat ad eliciendum certis temporibus actum supernaturalem qui sit internus, appetitive summus, efficax et universalis in observantia mandatorum, purus in motivo, quod est bonitas Sei absoluta, prout negativum prohibet semper omnem Dei offensam.

Non tenemur amare Deum supra omnia intensive, quia intensio caritatis est ejus perfectio tantum accidentalis.

Obligat, sicut dictum est de fide et spe.

Tenemur omnes actiones referre in Deum actualiter, quando urget praeceptum

caritatis: virtualiter semper. *1 Cor. 10,31*: Omnia in gloriam Dei facite.

8416 2.- De praecepto caritatis erga proximum.

Extat praeceptum speciale diligendi proximum actu etiam interno et benevolentiae: ex propositione damnata. Complectitur omnes creaturas rationales, ejusmodi nobiscum beatitudinis capaces. Ut affirmativum, obligat ad amandum proximum propter Deum amore benevolentiae affectivo et effectivo, sicut nos ipsos: scilicet ad similitudinem; ut negativum vetat odium et omnes actus oppositos amori benevolentiae.

8417 Obligat erga inimicos ac si tales non essent. *Matth. 5,44*: Diligite inimicos vestros. Generatim [obligat] ad ea omnia quae proximo debemus; speciatim [vero]: Odium et vindictae affectum deponere.

Non excludere ab actu interno caritatis, immo determinate diligere, si periculum sit ne oderimus.

Praestare ex interno affectu communia dilectionis signa et beneficia; specialia vero in casu necessitatis temporalis aut spiritualis, aut utilitatis magnae, aut periculi scandali, aut si omissio censeretur signum odii.

Veniam petenti condonare ex animo, et externa reconciliationis signa exhibere, pro ratione circumstantiarum.

Opitulari in necessitate.

8418 Qui injuste offendit tenetur veniam petere. Non tenemur remittere satisfactionem, immo licet agere in eum civiliter et criminaliter, non ex odio, sed ut jus suum vel commune tueatur. Aequam tamen satisfactionem oblatam, tenemur acceptare ex caritate, nisi sit periculum nocuenti publici aut privati.

Vindicta privata est illicita. *Rom. 12,19*: Mihi vindicta, et ego retribuam.

8419 [Caput] 3. De ordine caritatis.

Ordo servandus (*Cant. 2,4*: Ordinavit in me caritatem) in personis: Deum - seipsum - proximum; in rebus: Bona spiritualia - naturalia - externa. Bonum commune majus [est] privato.

Unusquisque tenetur se ipsum magis diligere simpliciter et absolute, quam proximum; tenetur proximum magis diligere in spiritualibus, quam seipsum in corporalibus; praeferre salutem aeternam proximi bonis omnibus propriis temporalibus, et vitam nostram corporalem exponere pro salute proximi in necessitate extrema: in gravi necessitate spirituali communitatis, teneris ei subvenire cum vitae periculo.

8420 Magis diligendi affectu complacentiae [sunt] sanctiores, et major iis optanda [est] gloria, quia magis conjuncti sunt Deo.

Quoad amorem affectivum et effectivum, consanguinei, in pari necessitate, praeferendi [sunt], quoad bona temporalia et spiritualia, aliis licet melioribus. Post hos ceteri secundum conjunctionem affinitatis, amicitiae, societatis, praeferendi

[sunt] extraneis.

Patria tamen, seu respublica, praeferenda [est] parentibus.

Ceteris paribus, ex consanguineis praeferendi [sunt] propinquiores ex aequo propinquis digniores.

8421 Pater et mater in necessitate extrema praeferendi [sunt] filiis et uxori; extra eam, et ubi agitur de conservatione proprii status uxor et filii, juxta multos, praeferendi [sunt] parentibus. *Matth. 19,5*: Dimittet homo patrem etc. et adhaerebit uxori suae.

Ceteris paribus pater praeferendus [est] matri; uxor filis; filii ceteris omnibus.

Inter extraneos, meliores praeferendi [sunt] aliis; persona publica, vel reipublicae utilis, privatae; benefactor aliis; extraneus in majori necessitate praeferendus [est] propinquo minus indigenti.

8422 [Caput] 4. De eleemosyna.

[Est] sublevatio alienae miseriae propter Deum. Est opus misericordiae imperatum a caritate.

Misericordia [est] virtus ex compassione inclinans ad subveniendum alienae miseriae. Ei opponitur per excessum, nimia cordis mollities, seu indulgentia; per defectum, cordis durities et crudelitas. Opera [ejus] sunt quattuordecim: septem spiritualia, septem corporalia.

Est praeceptum divinum, naturale, positivum eleemosynae. *Matt. 25,41 sqq*: Discedite... esurivi enim, et non dedistis mihi etc. - Extenditur ad opera tum corporalia, tum spiritualia.

8423 In necessitate extrema, subveniendum est proximo ex bonis necessariis ad integritatem status. In gravi, ex bonis necessariis ad status decentiam; in communi, ex superfluis vitae et statui. Tanta eleemosyna danda est, quanta necessaria est ad levandam proximi necessitatem.

Eleemosynae praecepto satisfit per contractum onerosum, si proximus sit pauper secundum quid; si autem sit absolute pauper, dandum est gratis.

Eleemosyna facienda est ex solis bonis propriis, quorum libera sit administratio. Honora Dominum de tua substantia, *Prov. 3,9*.

8424 [Caput] 5. De correctione fraterna.

Extat praeceptum. *Matth. 18,15*: Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripere eum.

Obligat sub mortali ad corrigendum proximum de culpa mortali non emendata; obligat omnes, etiam inferiores et peccatores, quando utiliter corripere possunt sine suo gravi damno. *Eccli. 17,12*: Mandavit unicuique de proximo suo. [Obligat autem] sub his conditionibus: ut proximus prudenter judicetur peccasse, vel in proximo [esse] periculo peccandi: nemo [autem] tenetur autem inquirere nisi superior; ut sit periculum ne relabatur, vel permaneat in peccato; ut sit spes

emendationis, nisi redargutio necessaria sit vel utilis ad honorem Dei, vel famam proximi, aut ad scandalum impediendum; ut non adsit alter magis idoneus qui possit et velit; ut opportuno tempore fiat.

8425 Corripiendus est qui peccat ex ignorantia, si ignorantia sit culpabilis; si sit invincibilis juris naturalis, vel etiam humani, quando fructus speratur; si sit invincibilis medii ad salutem.

Per se loquendo, servandos est ordo a Christo praeceptus: *Matth. 18,15 sqq*: Corripe eum inter te et ipsum solum... Si te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos... Quod si non audierit eos, dic Ecclesiae. Deferendum autem est statim Superiori quando peccatum est publicum, vel in via deveniendi; quando etsi occultum cedit in damnum communitatis, vel tertii privati, nisi constet impeditum iri per secretam admonitionem; quando prudenter judicatur non profutura tua aut aliorum monitio; si alter satisfactionem tibi debitam deneget; quando proximus cessit juri suo, ut in Societate Jesu.

8426 [Caput] 6. De peccatis caritati specialiter oppositis.

§. 1 De odio Dei et proximi.

Odium [est] aversio objecti. [Odium] inimicitiae [est] quo, alicui personae volumus malum ut ejus malum; [odium] abominationis [est] quo rem vel personam aversamur ut malam praecise, vel ut malam nobis, aut aliis.

Odium Dei [est] peccatum omnium gravissimum.

Odium proximi, inimicitiae, [est] mortale ex genere suo. Jo. 5: Qui non diligit manet in morte.

[Odium] abominationis, sine justa causa et inordinate, [est] grave ex genere.

Nunquam licet optare malum proximo ut ejus malum, vel de eo gaudere, etiam praecise propter bonum minus, nostrum vel alienum. Licet optare malum temporale alicui, et gaudere de eo, in quantum est impedimentum malorum alterius qui plus diligendus est, vel communitatis aut Ecclesiae, similiter in quantum est impedimentum mali culpa ejus.

Maledictio, seu impraecatio gravis, est mortalis si fiat ex animo ut eveniat, vel propter contumeliam gravem aut scandalum.

8427 §. 2. De discordia, contentione, schismate, rixa, seditione.

Discordia, [seu] dissensio voluntatis in iis quae tenenda sunt ex caritate Dei vel proximi, mortale [est] ex genere, *Gal. 5,20 sq.*

Contentio, [seu] altercatio verborum, quibus inordinate alteri contradicatur, mortale [peccatum est] ex genere, *Gal. ibi.*

Schisma, [sive] voluntaria baptizati separatio ab obedientia Summi Pontificis, vel a communione cum Ecclesiae membris, gravissimum scelus, laedit bonum commune seu unitatem Ecclesiae.

Rixa, [seu] pugna manuum et verborum inter privatos, in aggressore est mortale ex genere, *ibi*.

Seditio, [sive] bellum aggressivum unius partis reipublicae adversus aliam, vel principem suum, graviter adversatur bono communi et justitiae.

8428 §. 3. De bello.

Bellum etiam offensivum potest esse licitum. *Deut. 23,9 sqq*: Deus dedit leges belli gerendi.

Ut sit licitum requiritur: potestas suprema; causa justa; gravissima injuria principi vel subditis illata, quam reparare pars adversa recusat; recta intentio.

Ante bellum, examinare tenetur princeps causam ut habeatur certitudo moralis de ejus justitia, et proponere parti adversae justitiam causae et suas praetensiones.

In bello justo, licent ea omnia quae ex consuetudine christianorum necessaria sunt ad finem. Nihil licet fieri contra justitiam, jus gentium, virtutes et religionem. Tenentur princeps et duces stipendia solvere, impedire moraliter omnia crimina, curare ne subditi injuste graventur. Bona capta immobilia cedunt principi: mobilia sunt capientium, nisi ex consuetudine dividenda sint.

Repraesaliae licitae sunt si constet de injuria; si compensatio denegetur; si cum auctoritate principis [fiant]; ne sit excessus in damno; ne in personas ecclesiasticas, vel eorum bona.

8429 §. 4. De scandalo.

Activum [est] dictum vel factum minus rectum, praebens alteri occasionem peccandi.

Passivum: ipsa ruina, seu peccatum proximi. [Dicitur] pusillorum, vel infirmorum, quod oritur ex ignorantia, vel infirmitate peccantis; pharisaicum, seu mere acceptum, [quod procedit] ex ipsa malitia peccantis.

[Scandalum] directum [est] peccatum speciale contra caritatem et contra virtutem cui repugnat opus ad quod inducit. Indirectum, similiter. *Matth. 16*: Vae homini illi per quem scandalum venit.

Non tenemur omittere opus non malum, nec mali speciem habens, ob scandalum pharisaicum, si adsit causa rationabilis aut utilitas magna nostra vel aliena, etiam temporalis; tenemur autem ob scandalum pusillorum aut infirmorum, omittere illud aut differre donec proximus moneatur, ne scandalizetur, cum id sine gravi incommodo possumus. *Eccli. 7*: Mandavit unicuique de proximo suo.

8430 Ad vitandum scandalum nunquam licet facere actionem prohibitam lege naturali, vel omittere actum lege naturali praescriptum, aut necessarium necessitate medii, aut in detrimentum fidei, vel boni communis spiritualis. Ad vitandum grave scandalum pusillorum, juxta multos, debent praetermitti praecepta mere positiva,

praesertim humana, nisi majus damnum ex omissione immineret tibi vel aliis; quia omnia praecepta caritati deserviunt, et ei tamquam fini subordinantur.

Bona opera consilii non sunt omittenda ad vitandum scandalum pharisaicum. *Matth. 15,14*: Sinite illos: caeci sunt; occultanda aut differenda [sunt opera bona] ad vitandum scandalum pusillorum, aut infirmorum, donec ratio sic agendi proponatur.

8431 Non licet inductione, vel suasionem directa suadere minus peccatum, volenti committere gravius, quando aliter gravius impediri nequit, quia non sunt facienda mala ut eveniant bona, *Rom. 3,8*.

Dare alteri rem aut operam qua abusus praevideatur, non licet si denegari potest sine gravi damno, vel si in talibus circumstantiis proxime ad peccatum adjuvat, et ad illud determinate ordinatur. Licet autem rem et operam ex se licitam praebere abusus, si per se ac proxime ad peccatum non concurrat, et adsit justa causa et proportionata excusans, et adsit intentio cooperandi ejus peccato, nec alter abutatur contra bonum reipublicae vel Ecclesiae.

8432

DE RELIGIONE

[Est] virtus qua Deo ut rerum omnium principio cultus debitus ac supremus exhibetur. [Virtutum] moralium [est] praestantissima [quia] ejus objectum immediatius tendit in Deum.

Actus [ejus sunt]: Adoratio, sacrificium, oratio, devotio; laus Dei, votum, juramentum etc.

Caput I. De adoratione, oratione, et horis canonicis.

Adoratio, late [sumpta est] actus quo testificamur alterius excellentiam et nostram submissionem ob ejus excellentiam. [Ejus divisionem sunt]:

Latria, Deo [debita] ob infinitam excellentiam increatam.

Dulia [debitur] Sanctis, ob creatam excellentiam supernaturalem.

Hyperdulia [tribuitur] S. Virgini ob singularem creatam excellentiam supernaturalem.

[Adoratio] politica: [tribuitur] viris, principibus, sapientibus, ob creatam excellentiam naturalem; absoluta, personae propter excellentiam intrinsecam; relativa, alicui rei [tribuitur] ob excellentiam personae ad quam habet abitudinem aliquam vel conjunctionem.

Stricte [sumpta est] cultus latriae soli Deo debitus.

8433 Oratio frequens omnibus adultis praecepta [est]. *Luc. 18,1*: Oportet semper orare et non deficere. Est etiam adultis necessaria necessitate medii, [quia] quaedam esse constat quae, nisi ejus adjumento non liceat impetrare,

Cathechismus Romanus *n.* 359.

Obligat in gravi necessitate ac tentatione propria vel proximi, et saepissime in vita. Oratio debet esse pia et honesta.

8434 Obligantur ad horas canonicas sub mortali singulis diebus: omnes insigniti sacro ordine, religiosi et moniales professi, choristae; beneficiati etiam ex iustitia.

Ad debitum recitationem requiritur: Quoad officii qualitatem; servare formam Breviarii Romani; quoad tempus: in recitatione publica, servanda [est] cujusque ecclesiae consuetudo; in privata, ad vitandum mortale, recitandum est totum a media nocte ad alteram; quoad ordinem: est veniale, extra chorum, sine justa causa ordinem horarum invertere. Veniale est interrumpere sine justa causa. Quoad modum: [recitari debent] studiose et devote [et] articulata voce.

8435 Requiritur intentio orandi, saltem implicita, et attentio etiam interna ad Deum, vel res divinas. Matth. 5: Populus hic labiis m honorat.

Satisfacit qui legit cum socio extra chorum.

A lectione horarum excusat gravis infirmitas, gravis et repentina occupatio; quae sine scandalo, vel notabili damno, proprio vel alieno, omitti vel differri nequit; impotentia, legitima dispensatio Papae.

8436 *Caput 2. De observantia festorum.*

Prohibentur opera servilia exceptis iis quae jure aut consuetudine legitime sunt permissa; item opera judicialia; mercatus; nundinae et celebratio contractuum; choreae, saltationes et theatri ludi.

Ab omissione operum servilium aut forensium, aut contractuum, excusat:

Necessitas propria, vel aliena, spiritualis vel corporalis, quae praeverti non potuit. - Pietas in Deum, per qual licent opera ad Dei cultum proxime ordinata. - Caritas erga proximum - Consuetudo ab Episcopo permissa - Dispensatio legitima Papae, vel Episcopi, vel etiam parrochi ex consuetudine, ob gravem et justam causam, quando est difficilis recursus ad Episcopum.

8437 Circumstantia facti addit novam speciem malitiae contra religionem iis peccatis saltem quae includunt oppositionem specialem, vel afferunt impedimentum sanctificationi festorum.

Diebus festis exercenda sunt generatim opera religionis, pietatis, caritatis; speciatim omnes fideles usu rationis praediti tenentur audire Missam.

Ad auditionem Missae, ut satisfiat praecepto, requiritur ut audiatur integra; intentio saltem implicita communicandi cum actione sacerdotis; praesentia corporis humana, moralis ac pia praesentia.

Excusat ab auditione sacri impotentia etiam moralis [vel] caritas.

8438 *Caput 3. De voto.*

[Votum est] promissio deliberate facta Deo de bono meliori et possibili.

Ad valorem requiritur: Volitio se obligandi, saltem implicita; advertentia et deliberatio, sufficiens ad mortale directe voluntarium; promissio voluntaria; de bono meliori; et possibili; habilis ad vovendum, etiam jure positivo.

Dividitur in reale, quo promittitur res pretio aestimabilis, personale, quo promittitur actio personalis, mixtum; temporale, perpetuum; absolutum, conditionatum; solemne, simplex.

8439 Violatio voti in materia gravi est mortalis. Quando non constat de alia intentione voventis, votum obligat quantum in illa materia lex divina aut humana obligaret. Personale solum voventem obligat, nec per alium impleri potest. Reale obligat voventem ad persolvendum per alium de propriis bonis, si per se nequeat, et obligat etiam haeredes. Impleri debet tempore a vovente praefinito.

In dubio de voto, post diligens examen, non est obligatio si nulla appareat probabilis conjectura illius emissionis; in aequali utrimque probabilitate votum servari debet. Certus de voto sed dubius de solutione, tenetur implere. In dubio de quantitate vel qualitate rei promissae, votum explicandum est secundum voventis intentionem; si de intentione non constet, ex conjecturis, materia, fine; et dubio adhuc manente, ex communi et usitata verborum acceptatione; si non recordetur verba, eligi debet pars tutior.

8440 Fictio voti peccatum est: mortale autem si sit solemne.

Tollitur obligatio: cessante causa finali; materiae desitione, vel mutatione notabili; irritatione, dispensatione, commutatione; defectu conditionis positae.

Vota omnia eorum quorum voluntas subjecta est potestati dominativae alterius, possunt ab eo "directe" irritari. Vota quorum materia est alteri subbjecta, possunt ab eo "indirecte" irritari. Qui vota irritandi potestatem habet, illa valide irritat etiam sine justa causa.

8441 Potestas ordinaria dispensandi in votis et juramentis competit solis praelatis habentibus jurisdictionem in foro externo. Vota Papae reservata, praeter solemnia, sunt quinque: Castitatis perpetuae, ingrediendi in religionem approbatam, peregrinationis in Jerusalem, ad limina Apostolorum, ad S. Jacobum in Compostella; si conditionata sint, pertinent ad Episcopum ante impletionem conditionis. Ad valorem dispensationis requiritur justa causa, quia praelati non sunt domini, sed oeconomi. Justa causa [sunt] pieta, utilitas spiritualis, necessitas.

8442 Quisque potest privata auctoritate et sine alia causa commutare votum suum in evidenter melius non praeceptum, modo id Ecclesia non prohibuerit. Melius [intelligitur] quod salutaris et Deo gratius [existimatur]. - Ad validam etiam commutationem in minus bonum, praeter auctoritatem superioris requiritur justa causa, et aliqua causa pro commutatione in aequale. - Qui habet potestatem dispensandi, etiam delegatam, potest commutare: non e converso.

8443 [*Caput*] 4. De juramento.

[Est] assumptio divini testimonii ad confirmandum.

Dividitur in explicitum, implicitum; solemne, simplex; contestatorium, execratorium; assertorium, promissorium; [et hoc in] absolutum, [et] conditionatum.

Licet jurare cum certis conditionibus, scilicet veritate, iudicio, justitia. Si veritas desit, vel putetur deesse, vel dubia sit juranti, est perjurium mortale. Quoad defectum iudicii, seu considerationis, si [talibus defectus] sit circa juramentum ipsum, vel circa veritatem, [est peccatum] mortale; circa necessitatem aut gravitatem rei, [est] veniale. Quoad defectum justitiae, mortale est promittere vel confirmare juramento rem graviter illicitam.

8444 [Juramentum promissorium] est obligatio praestandi rem licitam juramento promissam vel assertam, sub mortali, saltem si res illa sit gravis. Juramentum promissorium habet easdem conditiones quas contractus cui adjicitur, ex mente contrahentium, juris dispositione vel recepta consuetudine. Juramentum de futuro sine promissione obligat.

Non obligat si sit de re illicita; de re inutili; de re impeditiva majoris boni, et contraria consiliis Christi: obligat tamen si res sit promissa homini et ei utilis; de re impossibili; si fuerit error vel dolus circa substantiam vel causam finalem; si promissio jurata non fuerit acceptata ab homine in cuius gratiam facta est.

8445 Juramentum injuste extortum obligat, nisi sit de re illicita, ex virtute religionis.

Juramentum exterius factum sine animo jurandi malum est, [et] obligat ratione injustitiae, vel damni, vel scandali, vel ex virtute religionis, saltem si non injuste exigatur. - Qui jurat cum restrictione mentali vel aequivocatione, peccat mortaliter contra religionem, et etiam contra justitiam, quando juramentum juste exigatur vel sponte fit. - Juramentum factum cum animo jurandi, sed non se obligandi, est obligatorium et mortale.

8446 Tollitur obligatio juramenti promissorii: materiae mutatione; condonatione; commutatione facta a superiore justa de causa, si promissio facta sit Deo, vel ab homine, si sit in utilitatem hominis; irritatione facta ab eo qui voluntas jurantis, vel materia juramenti, est subjecta; si alter non servet promissa; dispensatione, quae tamen fieri nequit si promissio sit in commodum tertii et ab eo acceptata, nisi in tribus casibus: ob bonum commune - in poenam alicujus criminis, in materia superiori subjecta - ratione injuriae juranti illatae.

Non licet privato exigere etiam in iudiciis juramentum ab eo praevideatur perjuratorus; sed licet iudici ad instantiam partis.

Quisque tenetur sub mortali consuetudinem jurandi sine necessitate, vitare et contractam evellere. Jurationi non assuescas: multi enim casus in illa. Eccli. 13.

8447 [Caput] 5. De peccatis religioni oppositis.

Per excessum: superstitio; per defectum: irreligiositas.

1. - Superstitio.

[Est] cultus inordinatus veri vel falsi numinis.

Species. Ex parte modi colendi: [superstitio dicitur] cultus falsus et [cultus] superfluus; [his ultimis est] praeter Dei et Ecclesiae institutionem aut communem usum et inutilis ad honorem Dei, et aedificationem propriam vel aliorum, vel ratione certitudinis vanae.

Ex parte objecti, seu [ex parte] cultus falsi numinis, [superstitio dicitur] idolatria, divinatio, vana observantia; maleficium, magia.

8448 Idolatria [est] divinus cultus creaturae exhibitus. Signa propria latrariae [sunt] sacrificium, templum, altare.

[Idolatria] perfecta [est quando quis vult] creaturae divinum cultum deferre, falso putans [eam] esse Deum. Minus perfecta [est idolatria si quis creaturam colit] non credens [eam] esse Deum, sed ex pravo affectu, vel cupiditate. Simulata [est si colitur creatura] ex solo metu mortis etc.

8449 Divinatio [est] significatio vel inquisitio occultorum, ope daemonis, expresse vel tacite invocati. Si occulta sint [taliam] quae a Deo solo cognosci possunt, [divinatio] est tacita idolatria.

Ex parte pacti duplex [est divinatio, secundum quod] scilicet [fit] cum expressa vel tacita invocatione. Ex parte medii [divinationis species sunt]: praestigium, necromantia, chiromantia, aruspicium, auspicium, augurium, astrologia judiciaria, sors divinatoria, divinatio per somnia vel signa in elementis.

8450 Observantia vana [illa est] qua ad effectum aliquem obtinendum adhibetur media vana, inutilia, improporcionata. Fit cum expressa aut tacita daemonis invocatione.

Species [ejus sunt] tres: ars notoria, qua ad scientiam repente acquirendam etc., observantia sanitarum, observantia eventuum.

Magia [est] ratio efficiendi mira, scilicet quae habent causam occultam, sed creatam. "Naturalis [est quae agit] industria humana; superstitiosa, [si aliquid facit] ope daemonis. Si fit ad nocendum aliis, [dicitur] maleficium.

8451 Divinatio, vana observantia, magia, sunt mortalia. *Deut. 18,12*: Omnia haec abominatur Dominus.

Maleficium [est] ratio nocendi aliis ope daemonis. [Ejus species sunt]: veneficium, quo alicui vel in persona, vel in animalibus, damnum infertur; amatorium, seu philtrum [quod est] ad amorem vel odium excitandum.

Tollitur exorcismis, oratione, poenitentia, jejuniis et aliis piis operibus, remediis medicinae, destructione seu combustione signorum.

8452 2. - De irreligiositate.

[Ea est superstitio] qua Deus in se, in rebus, vel personis sacris inhonoratur. Species [ejus sunt] quinque: Blasphemia, tentatio Dei, sacrilegium, simonia, perjurium.

Blasphemia [est] locutio contumeliosa in Deum.

Haereticalis [fit] attribuendo ei quod non convenit: negando quod convenit: tribuendo creaturae quod convenit Deo. [Aliae species sunt, blasphemia] imprecativa, dehonestativa.

Per se est mortale. Maledicentes ei disperibuns, *Ps. 36,22*.

8453 Tentatio Dei [est] dictum vel factum, vel omissio, ad capiendum experimentum divinae alicujus perfectionis aut voluntatis, per effectum extraordinarium a Deo temere expectatum, expresse vel implicite. Est per se mortalis. *Matth. 4,7*: Non tentabis Dominum Deum tuum.

Sacrilegium [est] violatio rei sacrae.

Personale [committitur] injuste percutiendo aut actionem contumeliosam exercendo [in sacros ministros]; eos subjiciendo tribunali saeculari; imponendo tributa vel onera publica contra immunitatem ecclesiasticam; omne peccatum [a persona sacra commissum] contra castitatem. Item quaelibet violatio voti.

8454 Locale [sacrilegium sunt]: Effractio, spoliatio, incensio Ecclesiae, eversio altaris; homicidium, effusio illicita sanguinis aut seminis humani, sepultura non tolerati aut non baptizati; usus profanus; extractio violenta rei e loco sacro; furtum; convicia.

Reale.

[Sacrilegium] est mortale ex genere suo.

Peccatum in loco sacro contrahit malitiam sacrilegii, quod est specialiter ab Ecclesia prohibitum in loco sacro; immo omne peccatum, saltem externum, in ecclesia [commissum].

8455 3.- De simonia.

[Est] studiosa voluntas emendi vel vendendi pretio temporali aliquid spirituali, vel spirituali annexum.

Pretium [potest esse] munus ab obsequio, manu, lingua.

Annexum [intelligitur sive] antecedenter, [exempli gratia] jus patronatus, altaria, vasa, etc.; concomitanter [qualis est] labor intrinsecus administrationi Sacramentorum; consequenter, [ut] proventus beneficii.

[Ad simoniam] sufficit voluntas dandi vel accipiendi non gratuito: ex propositione damnata ab Innocentio XI.

8456 [Simonia] juris divini [est] emptio vel venditio, etiam virtualis, rei aut actionis sacrae; juris humani [sunt] pactio aut commutatio, seu acceptio habens malitiam simoniae ex sola prohibitione Ecclesiae, ex motivo religionis.

[Simonia] mentalis, [est] datio vel acceptio etc. nullo interveniente pacto etiam

tacito.

Conventionalis [est] pactio simoniaca expressa vel tacita, nondum executioni mandata, saltem ab utraque parte. Pure [conventionalis est] quae neutra ex parte completa est; mixta, [quae] per una tantum parte.

Realis [si est] ex utraque parte completa, saltem inchoate.

8457 Confidentialis [simonia est] procurare alteri beneficium cum confidentia ut is aliquando procuranti, aut tertio, resignet vel fructus, aut pensionem ex eo praescit. [Fit]:

per accessum: ut cum praelatus volens tibi per aetatem incapaci procurare beneficium, illud confert alteri, ea conditione ut quam primum capax fueris illud accipias;

per ingressum: cum quis beneficium a se possessum alteri resignet, ea conditione ut iste sibi vel alteri idem beneficium resignaturus sit convenienti tempore;

si praesentans, resignans, conferens etc. paciscatur expresse vel tacite, ut pensio vel pars fructuum sibi vel alteri detur.

8458 Jure divino prohibetur ut simoniacum:

generatim: commutare spirituale, vel spirituali annexum, pro temporali;

speciatim: dare vel accipere temporale, pro virtutibus supernaturalibus, sacramentis, potestate spirituali etc. [Item] pro beneficio ecclesiastico, etiam simplici, et quod jus percipiendi fructus temporales;

omnis transactio in beneficiis, vel aliis rebus spiritualibus, facta compensatione cum re proprie temporali.

Dare vel exigere temporale, non solum pro admissione ad religionem, sed et pro sustentatione ingredientis, quando bona monasterii sufficiunt.

Vendere jus patronatus.

8459 Simonia juris humani [est]:

Permutatio beneficiorum sine auctoritate praelati, nullo interveniente pretio, [vel] resignatio extra curiam romanam in favorem tertii.

Venditio officiorum Ecclesiae: sacristae, oeconomii etc.

Acceptio munerum, etsi modicorum, sponte ac gratis oblatores, ex occasione examinis ad parochiam, collationis ordinum, tonsurae, litterarum dimissionarium aut testimonialium. Trid. 21, c. 1.

Permutatio rerum spiritualium inter se licita est, modo nihil annexum sit temporale, et nullum interveniat pretium.

Simoniacus est qui temporale pro spirituali promittit sine animo implendi, quia in jure promissio prohibetur ut simoniaca.

8460 Simonia juris divini per se mortalis [est]. *Act. 8,20*: Pecunia tua tecum sit in perditionem. [Simonia] juris ecclesiastici pariter [est] mortalis [cum sit] contra

religionem, [et] quia est ejusdem speciei [ac simonia juris divini].

Quovis modo annexum spirituali, nunquam potest emi aut vendi ratione spiritualis. Antecedenter temporale, seclusa Ecclesiae prohibitione, emi potest ratione temporalis materiae, modo non vendatur carius ob spirituale annexum. - Prohibetur ecclesiae venditio; concomitanter annexa spirituali et ei intrinseca, vendi nequeunt: item opera et actiones per se necessariae ad functionem sacram, ut studium et praeparatio ad concionem; consequenter annexum vendi nequit.

8461 Non licet dare vel accipere temporale praecise pro aliqua functione spirituali, vel labore ei intrinseco, nec praecise pro obligatione ad spiritualia praestanda. Licet tamen per modum sustentationis, cum obligatione ut fiat spirituale. Non licet tamen exigere quidpiam titulo sustentationis ad sepulturas, benedictiones etc., per horum spiritualium subtractionem. Est simonia juris divini, si vendatur locus sepulturae ut sacer; vel si quid detur pro sepeliendis mortuis; juris ecclesiastici si vendatur sepultura ratione materiae.

Simonia saltem mentalis est praestare aliquid spirituale principaliter propter temporale taxatum vel sponte oblatum.

8462 Est simonia dare vel accipere pretium pro omissione actus spiritualis, si omissio censeatur procedere a potestate spirituali et habeat effectum moralem.

Committitur simonia in materia beneficii:

jure divino, promittendo, dando vel accipiendo aliquid pretio aestimabile pro collatione, electione, praestatione, confirmatione et pro quavis actione qua jus ad illud acquiritur, aut confirmatur;

saltem jure ecclesiastico simoniaca et nulla est permutatio beneficiorum, et cujuslibet juris beneficia spectantis - conventio, pactio, conditio obligans ad id quod non est jure debitum, si fiat privata auctoritate;

resignatio sub conditione, pacto, onere quod de jure non inest beneficio, facta sine auctoritate Papae.

8463 Simonia est dare vel procurare beneficium ratione consanguinitatis, si intendat aliquod bonum in seipsum redundans.

Item conferre vel praesentare ad beneficium ob commendationem amici, si favor humanus principaliter intendatur, quia est pretio aestimabilis.

Item emere vel vendere pensionem assignatam pro officio spirituali, neque licet eam redimere. Simonia juris divini item est emere vel vendere alias pensiones quae soli clerico conceduntur, quia suna annexae titulo et officio spirituali [verbi gratia] recitandi Officium Beatae Virginis.

8464 Simonia est redimere vexationem, seu oppositionem non injustam, ad obtinendum beneficium, etsi haberes jus aliquod ad illud. Item vexationem injustam, ab iis qui ad beneficium juvare possunt, quando jus in re nondum est acquisitum aut necdum plenum; quia emeretur res spiritualis, vel jus in re firmum.

Licet tamen in ab iis qui solum impedire possunt.

Habenti jus in re, hoc est beneficio, plenum ac certum, licet pretio, non tamen in re spiritali, vexationem injustam redimere.

An confirmato, vel instituto, liceat pretio redimere vexationem qua injuste impeditur a possessione? Controvertitur.

Simonia est redimere justam vexationem post possessum beneficium. [Item] dare spirituale ad redimendam vexationem injustam, etiam post obtentum beneficium; [insuper] dare beneficium cum pacto ne is cui datur in posterum vexet vel noceat injuste.

8465 Simonia est, saltem mentalis, suscipere aordines ut beneficium obtineatur, principaliter ob ejus redditus.

Licet dare aliquid temporale absolute alteri, petendo ab illo ut aliquid spirituale faciat in bonum animae suae, modo nulla imponatur obligatio; item aliquid promittere sub conditione: si feceris hoc opus bonum, intendendo spirituale bonum operantis, et se obligando ad standum promissis, et non aliter, modo nulla alteri oriatur obligatio.

Beneficia et alia simoniace accepta, dimitti debent cum omnibus fructibus, ante sententiam; sufficit autem simonia conventionalis occulta et mixta.

Reliquiae sacrae si vendantur, contractus est nullus. Fundus vel vas, si carius vendantur propter spirituale annexum, contractus valet: restitui debet excessus.

Pretium et quodvis simoniace acceptum, restitui debet jure divino naturali.

In materia beneficii, restitutio facienda est Ecclesiae vel pauperibus loci.

8466 Poenae simoniae.

In beneficiis et officiis: Excommunicatio Papae reservata; nullitas actus; inhabilitas ad quaevis beneficia.

Confidentiae: excommunicatio Papae reservata. Si autem sit Episcopus, solum interdictum ab ingressu ecclesiae; nullitas actus; privatio beneficiorum et pensionum prius obtentorum; beneficia per confidentiam collata et accepta, reservantur Papae; fructus Camerae apostolicae; inhabilitas ad omnia beneficia.

In ordinatione: excommunicatio Papae reservata. Ordinatus suspensus est ab omni ordine: Ordinans per triennium a collatione omnium ordinum, et interdictus ab ingressu ecclesiae.

In ingressu et professione religionis: excommunicatio Papae reservata; suspensio ab officiis capitularibus, lata in conventum, si consenserit; simoniace scienter professus, in arctius monasterium tradendus [est].

8467 TRACTATUS DE VIRTUTIBUS MORALIBUS

[scilicet] quarum objectum attributionis immediatum, sunt actus humani ut honesti; [objectum] formale, est honestas elucens in ipsis actibus.

Quattuor sunt principales, seu cardinales, praeter religionem: prudentia, fortitudo, temperantia, justitia.

Caput 1. De prudentia.

[Virtus est] ostendens quid in quavis actione agendum ut honestum, vel fugiendum ut turpe, in ordine ad ultimum finem.

Actus [ejus est] ostendens quid in quavis actione agendum ut honestum, vel fugiendum ut turpe, in ordine ad ultimum finem.

Actus [ejus sunt]: recte consultare, recte judicare, praecipere executionem.

Peccata opposita: Per defectum: praecipitatio et inconsideratio, mentis inconstantia, negligentia. Per excessum: Prudentia carnis, [quae] proposito malo fine praescribit media; astutia [quae] contemplatur media prava ad fallendum. Dolus, fraus respiciunt executionem, factis aut verbis. Nimia sollicitudo temporarium.

8468 Caput 2. De fortitudine.

[Virtus est] inclinans ad aggredienda pericula et ardua, ad perferendum laborem et gravia mala, secundum rationem et voluntatem divinam.

Actus [ejus sunt]: aggressio, perpessio.

Peccata per excessum aut defectum timoris et audaciae [sunt]: timiditas, [sive] timor inordinatus; animi stupiditas, [seu] defectus timoris rationabilis; audacia, [seu] temeritas in audendo; ignavia [sive] defectus audendi.

8469 Virtutes annexae [sunt] quinque:

Magnanimitas, [quae est] circa ardua et heroica omnium virtutum. Per excessum [fit] praesumptio, ambitio, vanagloria; per defectum, pusillanimitas.

Humilitas, nostri cognitione, moderatur appetitum excellentiae secundum rationem. Per defectum [fit] superbia; per excessum inordinata sui abjectio.

Magnificentia, [quae est] circa magnos sumptus. Per excessum [fit] profusio; per defectum, parvificentia.

Patientia, temperat moerorem in adversis. Per excessum [fit] impatientia; per defectum, insensibilitas.

Perseverantia, per excessum [fit] pertinacia; per defectum, inconstantia.

8470 Caput 3. De temperantia.

Late [sumpta] moderatur operationes et passiones secundum rationem.

Stricte [sumpta] moderatur appetitum et usum delectabilium secundum sensum, praesertim gustum et tactum. Hinc tres species: Abstinencia, circa cibum et potum; sobrietas, circa potum inebrietatem; castitas, circa venerea; [cujus] pars [est] pu-

dicitia, circa aspectus et tactus impudicos; species [autem]: virginalis, conjugalis, vidualis.

Non licet agere ob voluptatem: ex propositione damnata ab Innocentio XI.

8471 Virtutes annexae [sunt] sex:

Mansuetudo, moderatur iram. Per excessum [fit] iracundia; per defectum, nimia dissimulatio.

Clementia, [quae est] circa poenam mitigandam aut remittendam secundum rationem. Per excessum [fit] crudelitas; per defectum, nimia lenitas.

Studiositas, moderatur appetitum sciendi et studium. Per excessum [fit] curiositas; per defectum, negligentia.

Modestia motuum externorum, per excessum [fit] petulantia et insolentia; per defectum morum ruditas, seu rusticitas. [Modestia] cultus, seu parcitas, per excessum [fit] luxus; per defectum, sordiditas.

Eutrapelia moderatur dicta vel facta ludicra.

Circumspectio moderatur sermones.

8472 [Caput 4]. De jejunio ecclesiastico.

Tria requiruntur: abstinencia a carnibus, ovis, lacticiniis; a pluribus refectionibus; certum tempus refectionis.

Per se obligat sub mortali: ex propositione damnata ab Alexandro VII.

Coenula, consuetudine inducta [est], a qua et moderanda. Non licet, sine justa causa, exam sumere ante meridiem.

Qui ex justa causa dispensatus est in abstinencia carni, non liberatur ab astinentia ab altera refectione.

8473 Toties quis peccat mortaliter, quoties die jejunii quis sumit refectionem iteratam, quia praeceptum continet hanc negationem: non pluries comedes.

Licet pluries jejunantibus bibere moderate, item electuaria sumere; quia magis sumuntur ad alterationem, licet aliquo modo nutriant. Violatur jejunium extra refectionem consuetam sumendo jusculum, lac, vel similis potio quae ad nutriendum principaliter ordinatur. Licet tamen ob necessitatem aliquid parvum sumere per modum medicinae. Qui exiguum quid nutritivum saepius eodem die sumit, etsi sine proposito aliquid notabile sumendi, peccat mortaliter, cum ad quantitatem notabilem scienter pervenit, ex propositione damnata ab Alexandro VII.

8474 Quoad abstinentiam ab altera refectione, excusantur generatim omnes qui sine gravi incommodo jejunare non possunt, speciatim aegroti, convalescentes, praegnantes et nutrices, pauperes qui non habent quod uni justae refectioni sufficiat, pueri ante annum vigesimum primum completum, ex consuetudine, operarii, opifices, et ii omnes qui ex officio exerunt opera laboriosa, qui pedibus

conficiunt iter quod commode differri nequit, modo spectatis omnibus non possint sine gravi incommodo jejunare. Multi addunt pietatem, sive opus praestantius et Deo gratius, impossibile moraliter cum ieiunio, ex S. Thoma. 2-2, 147, 4 ad 3.

Quoad abstinentiam carnis, requiritur morbus vel infirmitas specialis; adhuc petenda [est] licentia a superiore, nisi forte in certis casibus ex consuetudine non petatur; in dubio de sufficientia causae debet peti dispensatio.

8475 DE PECCATIS CAPITALIBUS

[Quae scilicet] non solum [sunt] per se peccata, sed radix et causa impulsiva multorum aliorum peccatorum.

1. Superbia.

Quid sit. Inordinata cupiditas propriae excellentiae.

Actus [ejus]: Inordinata sui aestimatio; finem suum ultimum constituere in propria excellentia; ab aliis velle magni fieri; iudicio proprio pertinaciter adhaerere; alios et aliena parvifacere; si putes te habere bona quae non habes, vel maiora quam habeas, aut in eo ponas excellentiam ubi non est; si bona tua aestimes quasi ex te ipso habeas, et non a Deo; si aestimes ea quasi meritis tuis debita, vel ea ad Dei gloriam non referas; nolle se subjicere superioribus, quasi id sit indignum; nolle se Deo submittere.

8476 Quale peccatum. Mortale ex genere suo. *Rom. 1,30 et 32*: Superbi et elati... digni sunt morte. *Prov. 8,13*: Deus arrogantiam et superbiam detestatur. *Eccli. 10,15*: Initium omnis peccati est superbia. Qui tenuerit illam adimplebitur maledictis, et subvertet eum in fine.

Perfecta, [est] semper mortalis. [Perfecta autem est] quando prae superbia quis subjici renuit Deo, vel superioribus, eorumve praeceptis, etiam in re minima; cum quis bona sua aestimat a seipso habere, vel esse propriis meritis debita, vel solis viribus acquisita; quando finis ultimus ponitur in propria excellentia, vel in rebus graviter malis propria excellentia constituitur, aut ex illis quaeritur.

8477 Remedia: Generatim quae humilitatis adjumenta [sunt].

Speciatim: saepe humilitatem a Deo petere; frequens consideratio practica de propria vilitate, de Dei excellentia; meditari superbiae poenas et humilitatis praemia. *1 Petr. 5,5*: Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. *Matth. 23,12*: Qui se exaltaverit humiliabitur; qui se humiliaverit exaltabitur. Exempla Christi. S. Leo Magnus: Frustra enim appellamur christiani, si imitatores non simus Christi; qui ideo se viam dixit esse, ut conversatio magistri forma esset discipuli, et illam humilitatem eligeret servus, quam sectatus est Dominus. Omnia sua

bona ac opera ad Dei gloriam saepissime actu referre, et crebro exercere actus externos ac internos humilitatis, atque opera ac ministeria vilia, et abjecta obire.

8478 [Superbiae] filiae [sunt]:

Praesumptio, [scilicet] inordinata cupiditas faciendi aliquid facultatem suam excedens. Mortalis est ratione gravis injuriae Dei: Ascendam, et similis ero Altissimo, *Isai. 14,14*; [item ratione] gravis damni proprii, vel alieni, aut periculi talis damni; [ratione denique] usurpatae dignitatis, potestatis, officii saecularis vel ecclesiastici.

8479 Ambitio, [sive] inordinata cupiditas honoris, dignitatis, potentiae. Inordinata [est] si appetas honorem quam non mereris, vel majorem quam mererit, vel ob rem qua cares; si appetas officium vel munus quo es indignus; si appetas honorem propter se, non ad Dei gloriam vel utilitatem proximi; si [appetas] ex re illicita; si nimio affectu. [Est] mortalis ratione materiae graviter malae - damni gravis - periculi peccati gravis - medii graviter illeciti - finis mortalis - affectus graviter inordinati.

8480 Vanagloria, [est] inordinata cupiditas humnae existimationis ac laudis.

Actus [ejus sunt]: Inordinata manifestatio propriae excellentiae, sive verae, sive fictae.

Inordinata [est vanagloria] dum gloria quaeritur ex simulatae doctrinae, peritiae, virtutis excellentiae; ex rebus malis aut indifferentibus; aut major quam par sit; praecise propter se, non ad honorem Dei.

[Est] mortalis, eodem modo quo ambitio, ex re mortali, [et] si in gloria ponatur finis ultimus.

8481 [Vanagloria] est peccatum capitale, ex *S. Thoma et S. Gregorio*, quia ex ea septem alia immediate oriuntur:

- Inobedientia formalis, qua violatur praeceptum superioris ex contemptu, sive quia praeceptum est. [Hae] semper mortalis [est] ex communi sententia. *Luc. 120,16*: Qui vos spernit, me spernit.

- Jactantia, qua quis verbis inordinate praedicat de se id quod gloriam ac laudem apud alios parit, aut falso parere putat, vel gloriatur de peccato. Venialis est quando de se talia jactat quae neque sunt contra Deum, neque contra proximum. Mortalis, si quis proferat aliquid contra gloriam Dei. *Ezech. 26,2*: Elevatum est cor tuum, et dixisti: Deus ego sum. [Mortale item] ratione gravis scandali, damni, contumeliae, contemptus proximi, [vel] de actione mortaliter mala.

8482 - Hypocrisis, [est] simulatio virtutis, [objective autem] factum quo quis mentitur se virtutem seu sanctitatem habere quam non habet, vel majorem quam habet. Unde venialis [est] semper, quia est mendacium facti. Mortalis [fit] ratione adjuncti (contemptus virtutis, damni gravis proximi).

- Pertinacia [est] perseverantia in propria sententia, contra veritatem cognitam

vel sufficienter propositam. Mortalis [est] quando illa veritas pertinet ad fidem, bonos mores, pietatem, pacem etc.; nam materia gravis est.

- Inventio seu praesumptio novitatum. Mortalis [est] si fidei, bonis moribus, pudicitiae adversetur, vel pariat scandalum aut grave damnum proximi.

- Contentio,

- Discordia, [de quibus] in tractatu de caritate.

Remedia vanae gloriae: Eadem [sunt] quae superbiae; quibus adde actus oppositos vitiis quae ab illa oriuntur.

8483 2. Avaritia.

Quid est: Inordinata cupiditas divitiarum.

Qualeque peccatum: Mortale, cum in divitiis finis ultimus ponitur. Eph. 6, Avarus, quod est idolorum servitus, non habet haereditatem in regno Christi et Dei. [Item mortale est] cum quis ad divitias acquirendas, augendas, conservandas, adhibet media graviter illicita et injusta, vel paratus est peccare mortaliter, aut ita peccat. *Eccli 10,9 sq*: Avaro nihil est scelestius, nihil est iniquius quam amare pecuniam.

8484 [Est peccatum] capitale. *1 Tim. 6,9 sq*: Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et in laqueum diaboli, et in desideria multa inutilia ac nociva, quae mergunt homines in interitum et perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas.

Venialis [est avaritia] si inordinatio amoris intra hoc sistat, ut scilicet homo, quamvis superflue divitias amet, non tamen praefert earum amorem amori divino, ut si propter divitias non velit aliquid facere contra Deum et proximum; sic avaritia est peccatum veniale, *S. Th. 2-2, 118,4*.

Remedia praecipua: oratio, meditatio bonorum coelestium, periculi ac vanitatis bonorum terrestrium, paupertatis Christi, mortis, crebra et larga eleemosynarum largitio, resignatio in jactura bonorum.

8485 Filiae:

Obduratio cordis contra misericordiam, mortalis [est] quoties praeceptum eleemosynae vel caritatis graviter violatur.

Inquietudo cordis, [sive] inordinata et anxia applicatio mentis, ad augendas vel conservandas divitias, cum inani timore ne non acquirantur aut ne amittantur. Mortalis [est] quando retrahit a spiritualibus, vel aliis officiis ad quae graviter obligamur, vel cum quis divinae providentiae diffidit.

Violentia.

8486 Fallacia, sive dolus [qui est] alterius deceptio, sive verbis, sive factis.

Fraus, [quae est] astuta deceptio proximi per sola facta.

Perfidia, qua fides in promissis, pactis, et rebus creditis violatur.

Proditio, [est] manifestatio rei alicujus vel personae in proximi damnum contra fidem ei debitam. Mortalis [est] ex genere suo, contra caritatem et justitiam. Triplex [est]: Circa personam, quemadmodum Judas Christum prodidit; circa res, ut si miles declaret hosti modum capiendi etc.; prodendo alterius secretum suae fidei commissum.

8487 3. Gula.

Quid est? Inordinatus appetitus vel usus cibi aut potus. Opponitur abstinenciae et sobrietati. Strictius [sumpta est] inordinatio in cibo et potu non inebriante.

Quot modis committitur? Quinque modis, ex S. Gregorio, *Moral. in Job. 30,13 t. 1,749/1 C*: praepropere, laute, nimis, ardentem, studiose.

Nota: Qualitas debet esse accomodata statui, conditioni, facultati, infirmitati, necessitati personarum, et loco ac tempori.

8488 De quantitate autem cibi et potus non potest dari una certa regula omnibus secundum eandem mensuram; sed plus exigitur secundum varietatem complexionum et fatigationum. Unus etenim et idem plus indiget uno tempore quam alio, secundum dispositionem sui corporis... Tantum ergo potest et debet quis comedere et bibere, quantum credit se indigere ad sustentationem et ad executionem eorum quae sibi incumbunt agenda, ita ut non usque ad nauseam sumat, sed cum aliquali adhuc appetitu finem faciat. Cum autem ea delectatione cibi vel potus plus sumitur quam sibi dictat conscientia opportunum, tunc peccat, ait S. Antoninus, *p. 2, tit. 6, art. 1, § 5*, etiamsi vilissimi sunt cibi et potus, ut in... capite ante... idem S. Antoninus, post Augustinum qui l. 10 Confess. c. 11 sic ait: Hoc me docuisti, ut quaemadmodum medicamenta, sic alimenta sumpturus accedam.

8489 Quale peccatum: Mortale ex genere suo (*Ad Gal. 5,21*, commessiones inter opera excludentia a regno Dei numerantur) ratione affectus graviter inordinati, quo quis inhaeret voluptatibus cibi et potus, ut in iis finem ultimum constituat. *Ad Philipp. 3,19*: Quorum deus venter est. [Item] si quis bibat ad ebrietatem; si quis ob solam voluptatem cibo et potu usque ad vomitum scienter se ingurgitet. *Isai. 28,8*: Omnes mensae repletae sunt vomitu sordibusque. Idem dic si vomitum excitet ut iterum edat; ratione gravis nocumenti sibi, aut familiae, aut creditoribus; si quis saltem extra necessitatem carne humana aut sanguine vescatur; ratione scandali, aut periculi peccandi granter.

Extra hos casus, peccatum gulae est solum veniale, *S. Tom. 2-2, 148, 2*.

Remedia: Considerare gulae incommoda et damna: item fugacitatem delectationis, perseverantiam damni; vitare occasiones; sectari in omnibus temperantiam; semper sibi in mensa subtrahere aliquid modicum licitum et plus earum.

8490 Ebrietas. [Est] excessus in potu usque ad violentam privationem rationis ejusque potestatis proxima.

Mortalis est. *Isai. 5,11*: Vae qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam. / *Cor. 6,10*: Neque ebrii regnum Dei possidebunt. *Gal. 5,21*, ebrietas recensetur inter opera carnis quae excludunt a regno Dei. S. Basilius, *Hom. 14,2 t. 2,123 D*: Ebrietas daemon est voluntarius... ebrietas malitiae mater est, virtutis inimica. S. Ambrosius, libro de Elia, *c. 14,52 t. 1,551 D*: Noxia est ebrietas, ad corporis sanitatem mentis etiam crimen adjungit. S. Hieronymus, epistola 83 alias 69 Ad Oceanum, *c. 9 t. 1,421 C*:

Qui inebriatur, et mortuus et sepultus est.

8491 [Item mortalis est] quia gravis inordinatio est adimere sibi potestatem rationis. S. Augustinus, serm. 232, *alias 295, t. 5/2 Append. pg. 494 C*: Etiam si ad hoc veniretur ut tibi diceretur: aut bibas aut morieris, melius erat ut caro tua sobria occideretur, quam per ebrietatem occideretur. S. Antoninus, *p. 2 tit. 6, c. 3*: Non excusaretur per hoc quis ab ebrietate, secundum Thomam, quamvis faceret causa medicinae.

Ut sit mortalis sufficit voluntarium indirectum et interpretativum.

Est gravior in mulieribus, ob turpitudinis et luxuriae periculum; in his qui debent ex officio alios regere: verbigratia an patrefamilias, magistris; in clericis, praesertim; in sacris, maxime curatis, tum propter scandalum majus, tum quia ebrietas est libidinis fomes et nutrix, tum propter damna quae aliis oriri possunt, cum sacerdos ebrius fungi nequeat officio in necessitate.

8492 Signa perfectae ebrietatis: Cum quis non novit discernere inter licitum et illicitum, vel non potest solita officia exequi; quando quis postridie non meminit quid dixerit, egerit, quomodo domum redierit; si ea fecit quae nunquam integra mente solet.

Effectus mali ebrietatis culpabilis imputantur, si praevisi sint ut verisimiliter secuturi, vel potuerint praevideri, quia sunt sufficienter voluntarii; imo peccata quae probabiliter secutura novit, vel praevidere potuit ebrius, ei imputantur coram Deo etiam si reipsa postea non sequantur, quia istud est per accidens defectu objecti, et quia se exponit periculo probabilis peccati mortalis.

8493 Folliae ex S. Gregorio: *Moral. 31,17 t. 1,787/2 C*:

Hebetudo mentis, mortalis quando quis ex intemperantia fit ineptus ad intelligenda, vel praestanda ea quae ad salutem ei sunt necessaria, aut ad quae graviter obligatur. Attendite vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula et ebrietate, et curis hujus vitae, et superveniat in vos repentina dies illa, *Luc. 21,34*.

Inepta laetitia, quae movet ad cantiones obscaenas, actus turpes, choreas inhonestas. Mortalis [est] quando est inductiva ad consensum vel actum, vel oblectationem mortalem, aut aliquid scandalum pariens.

Multiloquium. In multiloquio non deerit peccatum. *Prov. 10,9.*

Scurrilitas, quae excitat ad indecora vel turpia agenda, aut dicenda, risus movendi causa.

8494 **4. Luxuria.**

Quid: Inordinatus appetitus vel usus venereorum...

Quale: Mortale. *Gal. 5,19 sqq:* Opera carnis, quae sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria; quae praedico vobis, sicut praedixi, quoniam qui talia agunt regnum Dei non consequuntur.

Quotuplex: Consummata [consistens] in voluntaria effusione seminis, et non consummata. Naturalis, in qua servantur conditiones ad hominis generationem requisitae; innaturalis, in qua conditiones illae non servantur.

[7680] Species luxuriae consummatae naturalis:

Fornicatio simplex, [sive] copula soluti cum soluta non virgine, ex mutuo consensu extra matrimonium. Mortale [peccatum esse] est de fide. *Eph. 5,5:*

Omnis fornicator non habet haereditatem in regno Christi et Dei. *1 Cor. 6,9 sq:* Nec fornicarii regnum dei possidebunt. - Repugnat bonae ac debitae educationi proles. Contrarium damnavit Innocentius XI.

Concubinitus est gravior, quia manet in statu et voluntate peccandi.

Fornicatio cum infideli est gravior, imo juxta De Lugo mutat speciem, quia prohibitum est matrimonium cum infideli, in honorem religionis catholicae, ob periculum malae educationis proles, nimii amoris erga infidelem, defectionis a vera fide. - Fornicatio in christianis habet specialem deformitatem, nam per baptismum et eucharistiam membra nostra fiunt Christi. Fornicatio cum alterius sponsa continet etiam malitiam mortalem contra justitiam, quia fides data et res promissa violatur et corrumpitur.

[7681] Stuprum [est] concubitus quo mulier virgo extra matrimonium defloratur seu corrumpitur. Si sit coacta vel seducta, fit injuria tum virgini, tum parentibus, alias fit injuria parentibus. *Eccli. 7,26:* Filiae tibi sunt? Serva corpus illarum. [Stupro] laeditur pietas illis debita. [Stuprum] ponit virginem in via meretricandi.

Raptus [est] abductio personae alicujus de loco in locum, causa libidinis aut matrimonii, per vim ipsi aut tutoribus illatam.

8495 Principia discussa et quaestiones solvendae in civitate veronensi anno 1805, in Collegio episcopali.

N. 5: Juramentum promissorium, in quo nulla vis, nullus metus injustus, error nullus vel dolus intercessit, ex Divo Thoma, 2-2,89,3, obligat, et quidem semper ad hoc quod veritas impleatur, si tamen alii duo comites adsint, scilicet iudicium et justitia.

Ad primum itaque: Num teneatur qui jurejurando promisit aliquid inutile. Responsio est negativa; modo "inutile" proprie accipiatur, prout est res quae nequeat ex se neque ex fine aut circumstantiis ad Dei honorem vel hominis utilitatem conducit: ratio est, quia in hoc casu deest iudicium: de omni enim opere, sicut de omni verbo otioso, reddenda erit iudici ratio.

8496 Ad secundum: Num teneatur qui jurejurando promisit aliquid majoris boni impeditivum: Respondendum cum distinctione:

- Vel promisit Deo, et non teneri manifestum est; quia deest in hac specie pariter iudicium. Hoc namque juxta Augustinum vergit in deteriorem exitum, quod profecto non potest Deo placere.

- Vel promisit homini, et tunc tenetur, si promissio est utilis, nec vergit in aeternae salutis dispendium, nec redundat in alterius detrimentum injustum; quia ibi invenitur et iudicii ratio et iustitiae: hoc enim homini potest licite placere et jus illi ad rem est acquisitum ex promissione, ut supponitur acceptata.

8497 Ad tertium denique: Num teneatur qui jurejurando promisit aliquid quod minime promisisset, si futuras circumstantias non quidem malas, sed valde incommodas praevidisset: Respondeo non teneri, quia nimis excederetur aequalitas iustitiae: ad plus namque teneretur quam se obligavit in contractu proprie gratuito, ex conditione apposita per intentionem quam legitime et rei natura, et consuetudo, et jura interpretantur, subaudiunt atque...

8498 **N. 7. Quadruplici modo potest quis dolose jurare:**

1. Sine animo jurandi nec se obligandi.
2. Cum animo jurandi, non tamen se obligandi.
3. Cum animo jurandi et se obligandi, non tamen implendi.
4. Cum animo jurandi et se obligandi et implendi, non tamen ad intellectum ejus cui jurat, sed ipsiusmet jurantis.

Communiter autem et respective ad hos modos, tenetur implere juramentum, saltem si non injuste exigatur, et quidem ad sanum intellectum ejus cui jurat in dolo; vel ex justitia, ratione injuriae aut damni orti aut orituri; vel ex caritate, ratione scandali si non impleatur; vel imo ex religione, ad tuendum honorem divinum.

8499 Titio itaque sacerdoti, quaerenti quomodo se gerere debeat cum iis qui dolose jurant ad expositos modos, parochus respondere tenetur: Pro certo habendum et judicandum in praxi:

Ad primum quidem: eos semper peccare, juxta damnatam ab Innocentio XII propositionem quae sic est: Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis; et insuper peccare mortaliter, quia semper inest mendacium graviter injuriosum, saltem divino nomini; mentiuntur enim non solum jurare, sed et exterius adducunt Deum in testem falsitatis, nempe voluntatis se

obligandi quam non habent. Teneri praeterea ad implendum juramentum secundum quod supra dictum est, una vel pluribus ex allegatis rationibus occurrentibus.

8500 Ad secundum: eos pariter peccare, et quidem graviter, uti ex dictis magis patet; teneri praeterea ad implendum juramentum, etiam ex propositione a clero gallicano inter perniciosas et bonae fidei contrarias damnata, quae sic est: Qui jurat cum intentione non se obligandi, non obligatur ex vi juramenti.

Ad tertium: Postremo, quod pariter de iis judicandum sit, constat a fortiori ex supradictis.

8501 N. 8. Qui habent potestatem ordinariam dispensandi in votis, possunt etiam jure ordinario dispensare ex justa causa cum propriis subditis, in juramentis in quorum materia jus alterius non obsistat, nempe aut superioris reservantis, aut promissarii juramentum acceptantis.

Directe autem vel indirecte irritare juramenta possunt ii omnes et soli quibus persona seu voluntas jurantis, vel materia juramenti est subjecta, in iis casibus in quibus possunt et vota irritare. Causa horum est, quia ex *S. Thoma, 2-2, 89,9 O*, par est ratio in juramento ac in voto quoad dispensationem et irritationem.

8502 Hinc ad primum: Utrum episcopus possit dispensare in juramentis quorum materia si voveretur, Papae reservaretur. Respondendum est: simpliciter non posse.

Ad secundum: Utrum idem possit episcopus, quando materia Papae quidem reservaretur si voveretur, sed dubitatur de illius licitudine in casu occurrente: Responsio est affirmativa, quia reservatio, utpote odiosa, restringitur ad casus certos, cum nempe materia evidenter licita est et utilis.

Ad tertium: Utrum pariter possit, quando materia etiamsi voveretur nullo modo Papae reservaretur, respondendum est: posse ex justa causa, cum propriis subditis; sed si promissio fuerit in commodum tertii et ab eo acceptata, non nisi cum consensu ejusdem; exceptis aliquibus casibus, ad honestatem morum et commune bonum pertinentibus, cui jus privatum cedere debet.

8503 [SULLA MODA FEMMINILE]

Sacerdos, minister sacramenti Poenitentiae, constitutus est a Deo tamquam animarum medicus et iudex, ut honori divino et hominum saluti consulat atque prospiciat. Cum igitur medicus sit, necesse est illi omnino de morbis qui vitam auferre possint diligenter exquirere, ab iis quorum sanitati invigilat; cum vero iudex pariter sit, oportet sedulo de iis conditionibus perquirere, quibus ad beneficium divinae largitatis, per absolutionem recipiendam, apti redduntur homines quos suorum poeniteat peccatorum. Quare dum illi sua vulnera detegunt, et dum reos se apud ipsum confitentur, sollicito perscrutandum est primo utrum ea

crimina quae animum sauciant, talia sint ut mortem inducant: deinde utrum horum criminum amore ita praecoccupata sit voluntas, ut poenitentiae speciem potius quam virtutem sumens, indignum satis se animus divinae gratiae exhibeat.

8504 Quae profecto cum ita sint, etiam apparet quid confessario cum feminis quae pretiosis utuntur vestibus agendum sit: scilicet in primis quaerendum an in tali usu peccatum sit lethale. Porro, quemadmodum edocet S. Thomas, in ipsis rebus exterioribus quibus homo utitur non est vitium aliquod, sed in homine tantum qui immoderate utitur eis. Potissimum igitur finis investigari hoc in genere oportet; etenim si ornet se femina ad talem finem in quo peccatum sit mortale, in usu vestium et ornamentorum sine dubio mortaliter ipsa peccaret; praeterea graviter immoderatus censeretur hic usus, juxta eximias S. Caroli regulas, si propter hujusmodi ornamenta aliquod Dei mandatum per se ipsam, sive ipsa favente, suadente, consentiente violari contigerit; nimirum cum causa sit propter quam maritus vel alii quibus onus tuendae familiae incumbit, tantum pecuniae in eo insumant, ut domesticam facultatem excedant.

8505 Unde sciat, aut scire rationabiliter debeat aut probabiliter dubitet, odia domi, dissidiaque exoriri, maritum aliosve de quibus supra actum est maledictis et blasphemis coelum lacescere, illicita lucra prosequi, aut iniquos contractus adire, eleemosynas debitas culpabiliter omittere, vel pia legata non solve, aut alia jura quibus tenentur non reddere, mercedem debitam operariis famulisve stipendium retinere vel differre, aut aere alieno sic gravari ut ad statutum diem postea non sint ex quibus omnibus damnum proximo consenquitur; nec filias nuptui traderem cum aetas adfuerit, quod multa mala parere tristissimaque exitia consuevit: similiaque his alia peccata ortum habere, aut proxime oritura, quae communiter immoderatum corporis ornatum sequi videntur. In his omnibus pretiosa veste et ornamento uti, mortale peccatum est sine controversia.

8506 Quoniam vero fieri vix potest, cum quis in cultu corporis modum transgreditur, ut nesciat, aut scire non possit aut debeat haec vel his similia peccata consequi aut plane consecutura esse; hinc generale prorsus iudicium ferre licet: hujusmodi feminas in mortali peccato existere, nisi per solertem inquisitionem quam fecerit sacerdos de contrario constet propter singularem aliquam causam.

8507 Postremo inter mortalia crimina recensendus esset ornatus ille corporis qui induceret ad libidinem, sive ex se, sive ex communi hominum interpretatione, sive etiamsi non sit ex se inductivus, quando tamen vana haec mulier perspicit, aut probabiliter suspicatur, in extraordinario hoc inter probatae suae conditionis feminas ornato, occasionem aliquam inesse unde quis ad turpem amorem sui moveatur, seu inde alimentum sumere hanc pravam concupiscentiam, et nihilominus aut nulla aut exigua admodum sollicitudo eam tangit de spirituali, proximi sui salute, quam funditus perdi in ipso immoderato suo corporis cultu

videt, et adhuc in eo perseverat; sive demum quando hoc ornamentum taliter compositum est, ut varios inhonesti amoris effectus demonstret, eosque per varios colores qui assumuntur, aut alio quovis modo significare censeatur.

8508 [SULLA RAPINA E STRAGE]

Cum omnis de humanae vitae actibus disputatio admodum utilis sit iis quibus fideli populo jus dicere datum est, tum maxime necessaria circa illius potestatis fines disquisitio, ne spiritualium munerum fructus propter ministrantium imperitiam aut errorem decidat; atque adeo spes aeternae vitae multis pereat in Ecclesiae corpore adhuc constitutis. Quocirca satis caute provisum est ut in discussione reservantis legis toto ab hinc anno elaboremus; jamque universalioribus regulis peractis, ad particulares causas, seu legis articulos, gradum fecimus, et priore parte secundi causas satis accurate explicata, restat nunc altera breviter exponenda, in qua haec leguntur: "Etiam in viis depraeditio et agrorum depopulatio". Quaeritur autem quinam in resrvatam crimen incidere possint vi horum verborum.

8509 Itaque cum depraeditio derivetur a praeda quae ab hostibus fit (unde eam definit Gellius, l. 13 c. 24: Corpora rerum quae capta sunt) in hoc potissimum convenit cum rapina, quod aliquid vi aufertur; quare et communiter definiri potest: rei alienae per vim ablatio.

Tria igitur ad depraeditationem requiruntur: Primum quidem, quod res mobilis rapiatur; nam res immobiles non rapi vel auferri, sed occupari, invadi, vastari tantum possunt. Alterum vero, quod res sit aliena, domino scilicet invito, aut ejus legitimo detentore. Tertio demum, quod fiat per vim: quod intervenit quoties quis spoliatur re sua, ita quod resistere non potuit.

8510 Ut autem hujusmodi depraeditio reservata sit, requiritur expresse quod facta sit in viis; hinc depraeditio quae acciderit in ecclesiis, domibus, agris etc. non erit reservata. Sed dicenda erit reservata illa depraeditio quae caepta fuerit in via, et completa in agro aut domo, puta violenter subducendo viatorem in aedes ad ipsum commodius expoliandum, quia talis depraeditio censetur moraliter facta tam ubi incaepta, quam ubi fuit perfecta. Porro via, si nativam vocabuli vim inspiciamus, locus est quo vehiculum ire potest; unde et Varro, l. 4 De LL.: Ut quo agebant actus, sic qua vehebant viae dictae. Si vero popularem et communem loquendi consuetudinem spectemus, quam Ulpianus ipse, l. 1 De serv. rust. et Paulus l. 7 tit. eod. et Modestinus, l. 12 secuti sunt: via accipitur pro quovis loco per quem ire omnibus licet.

8511 Viarum equidem aliae publicae sunt, quae nunc militares, nunc praetoriae, nunc consulares vocantur, et a publica auctoritate et usu nomen sortiuntur. Vicinales aliae, quae per vicos aut in vicos ferunt; quae et ipsae publicae sunt, nisi ex collatione privatorum sint constitutae, ut docet Ulpianus. Privatae demum, quae per privatos agros ducunt; unde et agrariae dicatae; quarum tamen quaedam sunt in agris ipsis quibus imposita est servitus, ut ad agros alterius ducant: quaedam ita ad agros ducunt ut per eas omnibus liceat commeari. Igitur privatis illis tantummodo viis exceptis, quae in jure servitutes dicuntur (quia non omnibus iter praebent, sed iis dumtaxat quibus jus est), in quaecumque viarum istarum per quas omnibus ire licet, acciderit depraedatio, reservationi subjicitur.

8512 Sufficit autem quod res ablata sit in ea quantitate quae mortale peccatum constituat, neque adeo exigitur ut excesserit valore ducatos decem; cum ista conditio duobus his consequentibus casibus a legislatore apposita non fuerit, sed tantum praecedentibus: et particula illa "etiam" adjungit quidem sequentes propositiones superioribus, ut series augeatur reservatorum, non ut condiciones accessorias communes reddat.

8513 Nunc vero quid verba illa: "Et agrorum depopulatio" proprie significant paucis superest exponendum; nam depopulari agros a sacrorum canonum doctoribus censentur illi qui injuria agrorum segetes, vinearum fructus, similiaque fere quae ad agrariam utilitatem pertinent, vastant aut destruunt, aut comburunt. Quae propter non quodlibet etiam notabile damnum illatum vineis, frugibus aut plantis proprie venit sub nomine depopulationis agrorum, sed solum damnum illud quod importat destructionem aut devastationem, quae significant satis notabilem injuriam in rem campestris.

8514 His praenotatis, facile consequitur judicium de propositis dubiis, inter quae illud est quod proxime nostram spectat disputationem: Utrum Sempronius, qui de publica via in domum suam subdole vocatum Cajum, per vim bonis expoliatis quibus abundabat, reservati criminis sit reus. Cum enim in via publica vis adhibita non fuerit, non potest inferri depraedationem in via saltem inchoatam esse, ut Sempronii crimen reservantis legis articulo censeatur contineri.

8515 [DEFINIZIONI DI CASI DI MORALE]

[Sulle promesse]

Obligat... homo se homini, ait S. Thomas, 2-2, 88, 1, ad aliquid per modum promissionis, qui est rationis actus ad quam pertinet ordinare. Sicut enim homo imperando vel deprecando ordinat quodammodo quid sibi ab aliis fiat, ita

promittendo ordinat quid ipse pro alio facere debeat. Sed promissio quae ab homine fit homini, non potest fieri nisi per verba, vel quaecumque exteriora signa: Deo autem potest fieri promissio per solam interiorem cogitationem, quia ut dicitur *1 Reg. 16,7*: Homines vident ea quae parent, Deus autem intuetur cor. Promissio autem procedit ex proposito faciendi: propositum autem aliquam deliberationem praeexigit, cum sit actus voluntatis deliberatae. Ex hac igitur doctrina, ut quis alteri promissione obligetur, conditiones quinque et veluti gradus necessario requiruntur: deliberatio, propositum, promissio, pollicitatio, acceptio.

8516 Et primo quidem deliberari ea dicuntur quae constituimus consilio mentis decreta ex multorum collatione. Confert autem ratio et comparat quae animum advertenti in conspectu sunt; futura vero quae nobis accidant vel contingant fortuita, et maxime quae raro, mens praevidere non potest: idcirco de his non deliberant homines. Attamen quum illud experientia noverint casus ejusmodi intercideri aliquando, quibus praeter expectationem impediri vel difficilis valde reddi solutio promissi queat, nhinc de iis excipiendis veluti commubniter deliberatum et certum est apud omnes, ut de hac exceptione exprimenda in promissione, nec prudens quisquam cogitet.

8517 Constat enim quemadmodum ad illicita ita ad impossibilia neminem posse obligari: quae autem non sine gravi incommodo fieri possunt, ad haec quoniam lex humana communis non obligat, nec vi promissionis gratuita, quae lex quaedam est veluti privata a liberali hominis inducta voluntate, quemquam obligari. Quam ob rem Angelicus Doctor, *2-2, 110, 3 ad 5*: Ad hoc, ait, quod homo teneatur facere quod promisit, requiritur quod omnia immutata permaneant; alioquin nec fuit mendax in promittendo, quia promisit quod habebat in mente subintellectis debitis conditionibus, nec etiam est infidelis non implendo quod promisit, quia eadem conditiones non extant. Unde Apostolus non est mentitus qui non ivit Corinthum quo se iturum esse promiserat, ut dicitur *2 ad Cor. 1,15 sqq*, et hoc propter impedimenta quae supervenerant.

8518 At Megadoro dotem in futuras nuptias pollicito, grando interea suos agros et depopulata; qui casus equidem est fortuitus et insolens; non enim hunc vel illum agrum ex multis, sed omnes foeda tempestas afflixit: nec partem fructuum ex quibus alitur vulgo familia, sed totam pessum fere substantiam dedit quae depopulata agros dicitur grando; atque haec rerum notabilis ex calamitate immutatio diu manere praeterea longe etiam produci lateque solet. Non igitur sine gravi incommodo dare dotem poterit, si tamdiu instet obligatio quamdiu perstat infortunium; neque cum res eo sint loco, hominem promissio tenet, etiamsi ponas virginem jurare, ipsa veluti forte ad piam causam pollicitationem admisisse. Si autem tempus solvendae dotis vel nondum advenerit, vel diutius protrahi vi promissionis prudenter existimaretur quam duret calamitas, cessante impedimento

quo suspenditur, promissi urget obligatio. Sin vero forte tempus reddendi promissa jam adfuerit, et dum poterat ipse culpa moram fecit, ex posteriore calamitate etsi suspendi et differri, non tamen umquam tolli potest vel perimi obligatio; quia jam non ex promissione tantum, sed etiam ex delicto debitor fit. Casu etiam fieri potest ut obliget promissio, quo dos esset exigua, ut quae pauperulae dicta fuerit, promissor autem vir, praeterquam dives, valde etiam pecuniosus, ut notabilis rerum immutatio facta non censeatur prudentum arbitrio, quo haec omnia metienda et pensanda sunt.

8519 Prudens itaque vir a rerum adjunctis et circumstantiis conjecturam facere debet, ut recte arguat quid deliberatum vel non deliberatum fuerit. Deliberationem autem proxime sequitur voluntatis propositum, quod est actus voluntatis deliberatae; voluntas autem movet rationem ad ordinandum ea quae homo alteri facere debet: quae proprie est promissio. Haec igitur promissio interior, quae tertio loco requiritur, nihil est aliud quam ordinatio rationis qua homo voluntarie se alteri obligare intendit. Ordinare autem superioris est, quare homo non potest obligari nisi a Deo, vel ab homine cui Deus potestatem fecerit, vel a seipso, in rebus sibi subjectis.

8520 Quamvis autem voluntas in se cogi ipsa non possit, potest tamen vis in re illi subjectas inferri, scilicet in corpus, aut membra, aut sensus corporis, vel in res exteriores: pro qua vi repellenda adigitur homo ut velit se ad aliquid obligare. Hoc autem inter aequales non fit nisi per injuriam; verum omnis injuria resarcienda, cum sit violatio juris alterius, omniaque in pristinum statum restituenda; quia ob rem et qui hominem injuste coegerit, debet vexationem tollere, et obligationem, si qua est, relaxare; et coactus jus habet ad hujusmodi restitutionem, ut ex vexatione liberetur ipse, et promissa quoque liberentur, si qua fuerint extorta. Propterea S. Thomas, 87, ad 3: Talis obligatio, ait, tollitur per coactionem, quia qui vim infert, hoc meretur ut ei promissio non servetur.

8521 Itaque Pancratii preces assiduae quibus Verecundum premit ut mutuos sibi mille aureos promittat, si molestae non sint, ut quae a liberalibus sustinentur libenter, imo et quandoque expetuntur, vel si molestae aliquo modo sint at non graviter, non censetur gravis injuria; vel si quamvis gravem molestiam pariant, facile repelli vexatio queat, praecipue vero si magna necessitate pressus ipse Pancratius Verecundum premat, hic non coactus omnino videtur. Sin vero e contra nihil esset quod injuriam excusaret vel minueret, et Pancratii preces adeo importunae essent ut gravem molestiam et animi aegritudinem crearent, nec posset omnino ingens vexatio aliter repelli quam promissione, eamque acriter adeo extorquere precum improbitas tenderet ut, repugnante licet voluntate, prorsus causam illi dedisse censerentur, tunc demum dicendus esset recte judicare Verecundus se solutum dum velit a promissione.

8522 Quamvis autem omnis vis obligandi ab interiore promissione et voluntate tamquam primo movente exoritur, tamen ut actu homo se obliget homini, ea quarto praeterea conditio requiritur, qua interiorem promissionem exprimat per verba, aut quoquo alteri modo significet; quod proprie dum ultro facimus, "polliceri" dicimur; "stipulari" autem dum rogati ad postulata spondemus. Qua quidem legitima etiam formula, contineatur aut omnino pollicitationem consequatur oportet, illa quae postremo tandem loco ad nexum obligationis perficiendum necessario expectanda exigitur, admissio seu acceptio; quis enim poterit fidem dare, nisi sit qui accipiat? Aut rem suam ordinare in commodum alterius, qui non admittat vel cui non placeat? Nec inter aequales jura aut transferri aut commutari ulla possunt, quin consentiant: non enim pax turbanda.

8523 Ex quo autem duorum est in idem placitum et consensus, pacisci inter se homines dicuntur, et ex pacto vinculum illud juris constat sive naturalis sive civilis, quo obligantur ad aliquid faciendum vel omittendum. Haec autem obligatio ex pactis contrahitur quandoque ab uno promittente, unde liberalis promissio est contractus late sumptus et gratuitus, ad distinctionem contractus onerosi seu stricte sumpti, quo contrahitur obligatio ab utraque parte, quae invicem promittit aut repromittit, et se obligat mutuo. Et quia ex pacto provenit obligatio nedum fidei sed et justitiae, hinc justitia non honestate tantum fides servanda est, et quidem jure naturae, quandocumque sine peccato potest servari.

8524 At promissa ob opus malum, conditione jam effecta solvere, non est natura illicitum; nam S. Thomas, 2-2, 32, 7, illud definit: Lucrum meretricium non illicite retineri posse, neque injuste; et in 4 d. 15, 2, 4, q. 2: quaestiuncula 3, non teneri meretricem ad restitutionem, non quidem ex dono reipublicae, quae in poenam flagitiose promittentis rei donatae, concedit meretrici dominium, ad avertenda pejora mala; sed in ipsa rei natura fundatam rationem quam in jure divino et humano peritissimus doctor reperit, hanc fideliter reddit; quod enim, ait, mulier meretricium exerceat, turpiter agit et contra legem Dei, sed in eo quod accipit, non injuste agit nec contra legem, *S. Th. 2-2, 32, 7*. Lex autem 4,11 De conditione ob turpem causam, lib. 12, tit. 5 eadem prorsus habet: Quod meretrici datur repeti non potest... licet enim turpiter faciat quod sit meretrix, non tamen turpiter accipit cum sit meretrix.

8525 Jam vero ratio generalis est; nam Angelicus ait, in 4 ibidem: Quando actus quo quis lucratus est lege prohibitus est, non autem ipsum lucrum... tenetur ad restitutionem. Et lex. 6 eodem tit. ait: Si dantis et accipientis turpis causa sit, possesorem potioem esse, et ideo repetitionem cessare. Hic autem possessor non solum de facto est, sed et de jure, cum ex S. Thoma non teneatur in conscientia restituere; ut autem quis juste possideat, titulum habere oportet legitimum; causa vero haec justa est pactum seu promissio, quae cum effecta redditur conditio, obligat ex

justitia. Quare non tantum alter non injuste accipit, verum et promissor dare ex justitia compellitur. S. Thomas ea propter, in 4 d. 33, 1,3, q. 2, ad 1 docet quod Judas injuriam fecisset Thamari si promissum non solvisset.

Judas, ait, mendacium vitavit fornicationem non vitans, quamvis illud mendacium perniciosum fuisset, injuriam habens annexam si promissum non reddidisset. Cum autem ratio generalis sit, extendi illam posse ad plures casum manifestum est; et revera S. Thomas praeter meretricium, extendit ad histrionatum, 2-2, 37 et lenocinium, in 4 dicta distincione: quamvis ea crimina non modo prohibeantur legibus, verum etiam puniantur; nec ecclesiastica jura tantum passim censuris histriones et lenones compescuit, sed et Novella 14 tit. 1 De lenonibus collat. 3 severis hoc maleficio poenis multavit.

8526 Imo ad alios casus similes extendi posse idem S. Doctor designat iis verbis "et in similibus"; in quibus profecto eadem ratio servetur quam ipse repetit d. 35, si nempe lex prohibuit actum quo quis lucratur, sed non lucrum, supposito actu. Haec autem ratio adhuc integra inesse potest, etiam si crimina legibus uniantur, et quamvis sint contra justitiam; sicut enim meretricium, quod sit contra castitatem, non ideo lucrum est contra castitatem, ita opus ex quo quis lucratur, potest esse contra injustitiam, quin tamen lucrum sit contra justitiam, ut patet etiam l. 3 dicti tit. 11. Nec justitia destruit justitiam, sed justitia destruit pactum qua parte injustum est, nempe de opere faciendo ante executionem: ad peccatum enim nemo potest obligari; firmat vero pactum qua justum esse potest, nimirum supposito actu, dum lucrum non prohibetur; non enim repugnat imo convenit justitiae ut promissum servetur, quando sine peccato potest.

8527 Quocirca dare vel accipere in hujusmodi pactis, oportet in genere illorum esse quae non per se illicita sunt, sed tantummodo propter aliud: quae enim natura sunt mala, semper et ubique talia; cum autem haec illicita tantum sint propter aliud, hoc est finem malum, ante executionem operis illicita omnino sunt; nam tunc necessario finis intenditur ad quem opus assumitur: finis autem rationem habet formae, ad ea quae ordinantur ad ipsum, et ideo tamquam forma superinducta pacto, eidem speciem peccati et naturam attribuit. Post executionem vero cum finis cesset, quando non amplius necessario intenditur, imo illum detestari hominem decet, quasi sublata forma illa mala superjecta, remanet pactum in naturali sua forma, quae nullo prorsus modo legi opponitur: atque propterea ex illo recipere non est illicitum aut dare, imo justum; quandoquidem pacta obligant ex justitia dum peccatum absit. Quoniam tamen pactum illud fuit olim quasi materia et subjectum formae turpis seu peccati, etiam ea forma cessante aliquid ei remanet quasi ex memoria mali nominis, veluti umbra quaedam atque turpitudinis suspicio: unde cognominatur illicitum, quamvis non sit. Et hoc est quod peracute sane ad morem dicit S. Thomas 2-2, 32, 7: Est aliquid illicite acquisitum, non quidem quia ipsa acquisitio

sit illicita, sed quia id ex quo acquiritur est illicitum... Ex hoc proprie vocatur "turpe lucrum"; quemadmodum fere homo justificatus peccator nominatur quandoque, ut de se ipse Apostolus dixerit: Quorum primus ego sum, *1 Tim. 1,15*. Ecquod igitur erit lucrum iniquum sive per se illicitum?

8528 Idem Ecclesiae Doctor in 4 dicta distinctione, quaestiuncula 3, ait:

Quando lucrum ipsum est lege prohibitum, ut rapina, usura et simonia, non solum dicitur turpe lucrum, sed iniquum. Ita prorsus: nam in rapina atque usura accipitur alienum invito domino; in simonia vero, etsi materia quae datur non sit indebita, ad materia pro qua datur non est proportionata: non enim vendi res sacra, aut commutari pretio, ulto modo potest. Cum igitur juxta S. Thomam lucrum ex meretricio, histrionatu, lenocinio et similibus sit turpe tantum, non iniquum, et materia seu pretium quod datur non sit inepta, seu corporum usus et materiale opus aliquo modo vendi et pretio aestimari more hominum possit.

8529 Quod autem reipsa commutari haec pretio, et veluti aequari soleant apud homines, indicare aperte videtur ipse *Angelicus 2-2, 62 5, ad 2*. Postquam enim tamquam certum illud posuit: Cum quis dat meretrici propter fornicationem... mulier potest sibi retinere quod ei datum est; statim subjungit: Sed si superflue ad fraudem vel dolum extorsisset, tenetur eidem restituere; quod videlicet excedat et superet consuetum pretium et communem mercedem: nam et omnibus meretricibus dantur mercedes, ait *Ezech. 16,33*. (Ovidius et a merendo nomen traxit quae prostando aera meret: quare latinus poeta quidam ait *Ovid. 1 Amor. 10,21*: Stat meretrix certo cuivis mercabilis aere.

8530 Quid autem jura, quid judicia decernunt? Defloravit quis virginem sub promissione matrimonii: jubetur ducere, vi etiam adigitur; non ad reparandam injuriam, nam et virgo consensit, non in poenam et in damni compensationem, nam vi, metu, dolo stupranti sine promissione, non ducere debitum est sed dotare. Hic autem, etiam si velit dotem dicere vel dare, cogitur uxorem sibi adjungere, quia promisit. An forte conditio turpis habetur pro non adjecta? At illud quidem Gregorius IX statuit de matrimonio; non est omnino certum apud omnes extendi ad sponsalia: hoc Pontius negat cum aliis; quomodo traheretur ad simplicem promissionem? Nam sponsalia sunt mutua promissio; alioquin jure teneretur promissor ante conditionem effectam: constat autem non obligari nisi supposito actu. Sed in copula praesumuntur quandoque sponsalia; haec praesumptio sit in foro externo. In interno autem qui fecte etiam promisit, post stuprum in nuptias conjicitur: non promissione compulsus, quae nulla fuit, sed pacto oneroso, cui nomen quidem proprium deest; non virtus obligandi, scilicet "do ut des", "facio ut facias".

8531 Et quoniam illa prior conditiones perfecit, et partes suas egit quas injuria veluti dedit, et tribuit deceptio, deceptor secundas debet omnino, qui jure naturae

et pactis obstringitur suis. Idem; si vere vel fecte viduae honestae promiserit sub conditione copulae; neque si mulier aliter consentire noluerit, quam sub conditione matrimonii, superflue aliquae extorsisse aut vulgus dixerit aut iudex quemadmodum dixit de meretrice S. Thomas, quando tenetur restituere. Auctoritate igitur etiam publica et communi, tanti valet et aestimatur usus corporis et materiale opus cui adfuit quidem peccatum, et pacto etiam turpi et illicita promissione obligatur homo ad servandam fidem, quae possit sine peccato. Quid autem communis hominum illa et vulgaris sententia? Die festo confecerit quis vestem, aut nundinatus sit aut negotiatus, numquid pretium acceptum aut lucrum comparatum restituat? Conduxit quis artificem die dominico, annon pactam mercedem reddet? Equidem si faber arma paret vel acuat ad duellum, et milites conducti ad injustum bellum, tamquam vera causa debent omnia damna resarcire, quae ex injusta cooperatione proveniunt; operis et laboris mercedem atque stipendia restituenda esse justitia esse, nemo iudicavit unquam.

8532 Hinc apparet communi hominum usu materialis operis valorem aestimari seorsim a peccato quod illi adjectum sit; quoque per se praetio aestimari nefas est. Quomodo autem hoc fiat in opere malo, cum tamen labor intrinsecus in administratione sacramentorum sejungi ab rei sanctitate non possit, penitus rei naturam et causas discernenti manifestum est: sacra etenim res et peccatum aequae invendibilia: ratione tamen diversa, imo et contraria. Nam res quidem sacra ideo vendi nequit quia summi valoris est, peccatum vero quia nullius. Quae igitur summi valoris est res sacra, ad materiale opus et rem temporalem cui adnectitur habet rationem principalis: materiale opus secundarii et accessorii; accessorium autem sequitur naturam principalis: quocirca etiam a naturali conditione, in eam quae supra naturam sit dignitatem quodammodo extollitur, ut spiritualis veluti efficiatur, et sanctificetur, et consecretur, quasi ex contactu rei sacrae cui conjungitur et inhaeret. Quare si quis pretio commutare praesumat, et rei sacrae injuriam facit, quae imprimis et necessario attenditur in aestimatione totius, dum eam comparat temporali pretio: et ipsi rei temporali et materiali quae sacrae adjungitur injuriam irrogat, dum eam a dignitatis elatione atque illa spiritus communione exturbat, deprimit, submittit, et ad infimum illum temporalium rerum ordinem rejicit a quo jam segregata per sanctitatis conjunctionem reperitur. Peccatum vero cum, ut ait Augustinus, *In Joan. tr. 1, 13, t. 3/2, 294 D*, nihil sit, et ideo nullius valoris, si quid aestimaret illud homo, jam hic perverteret iudicium et affectum. Quare rationem habet accessorii ad opus materiale, quod in se profecto aliquid est; et ex hoc habet rationem principalis.

8533 Re igitur effecta, cum jam necessario peccatum non amplius intendatur, imo detestari etiam illud oporteat quod accessorium fuit, restat ut quod est principale, materiale scilicet opus, possit aestimari, et quanti est usitato hominum more

vulgarique consuetudine, tanto etiam pretio comparari. Quod et clarius patet rationem inspicienti cur Augustinus dicat peccatum esse nihil: quod nimirum non est aliud quam deficere a bono, quod homini convenit secundum suam naturam. Namque peccatum est actus debito ordine privatus: privatio boni fundatur in aliquo bono, sicut privatio entis fundatur in aliquo ente. Quare in omni opere cui adjunctum sit malum, remanet adhuc naturale aliquod et temporale bonum, temporali pretio aestimandum: sicut in homine peccatore remanet natura quae est bona et artes quaedam quae bonae sunt, et ideo laudandae et praemio aut pretio dignae, etiamsi homo propter peccatum malus sit et dignus non praemio aut pretio dignae, etiamsi homo propter peccatum malus sit et dignus non praemio sed poena. Solvere igitur promissa ob opus malum, cum jam ad effectum sit, illicitum non est jure naturae.

8534 Sed nec hominum jure prohibetur hujusmodi datio vel acceptio, supposito actu, vel pactum irritum esse jubetur quoad forum conscientiae; etenim, praeter leges satis claras quas citavimus ex pandectis, sunt etiam in codice, tit. De conditione ob turpem causam, l. Cum te 2 et l. Mercalem par § ibidem; quae omnes aperte clamant datum non posse repeti, et possessorem posse retinere. Ex alia quidem parte leges aliae clamant: generaliter turpes stipulationes nullius esse momenti: l. 26 de verb. obl.: Flagitii faciendi vel facti sauca, conceptam stipulationem ab initio non valere. L. 125 ibi: Pacta quae contra leges constitutionesque, vel contra bonos mores fiunt, nullam vim habere. L. "Pacti" c. de pact.: Pactum turpe vel rei turpis aut impossibile de jure vel de facto, nullam obligationem inducere. Cap. Pactiones extra de pactis.

8535 Ne igitur inter se discrepare aut contra pugnare dicantur, conciliandae sunt. Is autem conciliandarum legum modum est ut juri naturali a quo pendent, quantum fieri potest minime derogetur. Cum itaque jure naturae ante executionem pacta de re turpi, facienda nulla et illicita sint, jure quoque humano, non rata sed irrita sint; supposito vero actu, dum accipere et dare naturali jure illicitum non est, obligatio naturalis servandi fidem promissam, a lege humana non destruat: sed quoniam causa est natura turpis, in poenam actio civilis denegetur.

8536 Sed quid nostra interpretatione est opus, cum se lex ipsa interpretetur? Lex quidem Cod. Mercalem par. § dict. tit., sic declarat: "Mercalem te habuisse uxorem proponis, unde intelligis et confessionem lenocinii preces tuas continere, et causae quantitatis exactioni locum non esse: quamvis enim utriusque turpitudine versatur, et solutae quantitatis cessat repetitio, tamen ex hujusmodi stipulatione contra bonos mores interposita, denegandas esse actiones juris auctoritate demonstratur". Soluta igitur merces operis mali non potest repeti: quamobrem rata acquisitio est: in poenam vero turpis causae, ad eam obtinendam actio denegetur. Et ex his patet responsio ad tertium casum.

8537 Nunc ad casum liturgicum, cui jam Sacra romana congregatio, approbante Leone XII negative respondit, illud tantummodo ad causae evidentiam, satis erit animadvertere, quod in sacrosancto Missae sacrificio, per sacerdotis verba in altari proponitur corpus et sanguis Christi sub specie panis et vini, quae ad comestionem ordinantur; quare sacrificium istud jure divino consummatione perficitur. Necesse est, ait S. Thomas 2-2 45, 3 ad 3 et 3, 83, 6 ad 1, quod sacerdos comedat.

8538 Quum autem his duabus maxime partibus sacrificium constet, unum tamen est; et idcirco, dum plures sacerdotes sacrificantes interveniunt, vel jure ecclesiastico, ut in sacra ordinatione presbyteri aut episcopi, vel jure divino, ut in necessitate, dum sacerdos consecrans morbo impeditur, et alius consummandi munere obstringitur, non duo vel plures, sed unus ex more hominum agens et sacrificans censetur, ita ut presbyteri aut episcopi in eorum ordinatione, dum simul cum episcopo aut summo Pontifice ordinante consecraverint, ea lege tenentur ut de eodem ipsi etiam consecrato pane simul coment: et sacerdos qui post consecrationem prae debilitate continuare ac perficere sacrum non posset, debet tamen simul cum olio continuante sacrificium sumere ex consecratione, si id fieri potest, propterea quod duo in eodem perficiendo sacro more hominum, unus sacrificans censentur.

8539 Quapropter et cappellanus in casu nostro, qui sacerdoti consecranti necessario succedens, consecratus ab illo species sumere debet ut sacrum perficiat, etsi sacrificium non inchoaverit, quia tamen consummavit, unus est cum altero sacrificans, idemque missam celebrasse vere dicendus est. At in odierna disciplina plures in die missam idem sacerdos celebrare vetatur, excepto die Nativitatis Domini, et aliquo casu de quo nihil in proposito: ergo alteram missam celebrare illicitum cappellano fuit. In Natali vero, si casus hujusmodi contigisset, secundam et tertiam Missam ei dicere licitum fuisset; quamvis enim sacerdotes qui episcopo, vel summo Pontifici assistentes more laico communicant, non possint neque ante neque post aliam Missam celebrare; tamen cappellanus hic, quia in prima Missa, non tamquam participans, sed tamquam sacrificans intercedit, duas alias eo die potest celebrare. Diana Edit. Concord. t. 2 tr. 1 reg. 96 par. § 3; et tom 3 tr. 1 reg. 54 § 11.

8540 Atque haec ad maximas quidem controversias illustrandas pauca pro mandato munere adnotata perstrinxisse sufficiat: ne intemperanter abuti videar patientia vestra: scientibus enim legem loquor *Rom. 7, 1*; nunc si qua minus accurata exciderunt, vestro emendanda iudicio, sed et prudentissimi Antistitis auctoritati, prorsus delenda submitto.

8541 [SINTESI DELLA SOLUZIONE]

Promissio est deliberata fidei de re licita et possibili alteri facta obligatio:

itaque ad primum, utrum recte iudicet Megadorus, se solutum a pollicitatione dotis puellas facta ut possit nubere, cum grando postea suos agros fuerit depopulata,

Respondeo: affirmative, quamvis re aut jure accepta fuerit pollicitatio, si notabilis hinc rerum facta sit mutatio, quam prudens si potuisset praevidere, non promississet.

Ad secundum: utrum valeat promissio Verecundi, qui pressus continuis precibus Pancratii promisit se illi daturum mille aureos mutuos:

Respondeo: negative, saltem irrevocabiliter, si preces fuerint valde importunae, quae causam dederint promissioni.

Ad tertium: utrum teneatur Basiliscus Tigrio solvere centum libellas quas promisit si Caium verberet, cum jam Tigrus verberaverit,

Respondeo probabilius teneri jure naturali ad servandam fidem, quae jam servari potest sine peccato.

Ad quaestionem liturgicam: Utrum poterat cappellanus Missam celebrare postquam Petri sacerdotis celebrantis, et post consecrationem vita functi sacrum ipse perfecit, omitta ablutione ut jejunium servaret. - Sacra romana Congregatio negative respondit in una Carpensi 16 Decembris 1823.

8542

[SULL'USURA]

[Copia di documento pontificio]

Sacra Poenitentiarum, perlectis expositis a Venerabili in Christo Patre Episcopo Veronensi in supplici libello diei 1 mensis nuper elapsi, abstinendum sibi duxit a resolutione quatuor dubiorum quae in eo proponebantur, sed Oratori communicat responsa data a Suprema Congregatione S. Officii ad alia quaedam dubia eandem materiam respicientia. Haec autem sunt hujusmodi:

1. Utrum Confessarius possit in conscientia denegare absolutionem presbyteris qui contendunt legem Principis esse titulum sufficientem percipiendi aliquid ultra sortem absque titulo vel lucri cessantis, vel damni emergentis?

2. Utrum debeat?

Respondetur ad utrumque: Non esse inquietandos, quousque Sancta Sedes definitivam decisionem emiserit, cui parati sint se subicere; adeoque nihil nihil obstare eorum absolutioni in Sacramento poenitentiae.

8543 ALIA DUBIA.

1. An confessarius ille possit absolvi qui, licet Benedicti XIV et aliorum summorum Pontificum de usura definitiones noverit, docet ex mutuo divitibus aut

negotiatoribus praestito percipi posse praeter sortem, lucrum quinque pro centum etiam ab iis qui nullum omnino alium praeterquam legem civilem titulum habent mutuo extrinsecum?

2. An peccet confessarius qui dimittit in bona fide poenitentem qui ex mutuo exigit lucrum lege civili statutum absque extrinseco lucri cessantis aut damni emergentis aut periculi extraordinarii titulo?

Respondetur ad primum: Confessarium de quo in dubio non esse inquietandum quousque sancta Sedes definitivam decisionem emiserit, cui paratus sit se subdicere, adeoque nihil obstare ejus absolutioni in Sacramento poenitentiae.

Ad secundum: Provisum in praecedenti, dummodo poenitentes parati sint stare mandatis sanctae Sedis.

8544 ALIA DUBIA.

Vir quidam persuasus erat Encyclicam Benedicti XVI non inhibere lucrum ex collocatione pecuniae perceptum juxta disposita a lege civili. Ejus haeredes quaerunt:

1° An encyclicam recte acceperit;

2° Etiam supposito quod male acceperit, persuasis tamen recte accepisse, an haeredes ab omni reparatione se exemptos existimare valeant?

Respondetur ad primum: Acquiescant, dummodo parati sint stare mandatis sanctae Sedis. Ad secundum: Provisum in primo.

8545 ALIA DUBIA.

1. An possit erorum confessariorum agendi ratio probari qui dum tenent uti probabiliorum opinionem contrariam lucro ex pecunia negotiatoribus mutuo darta, poenitentes eo modo lucrum percipientes ut ditescant, absolvunt quando nempé isti objicientes sententiam lucro faventem; non fuisse damnatam a sancta Sede, promittunt tamen obedire judicio summi Pontificis si intercedat, et similiter agunt quando poenitentes lucrum percipientes in bona fine de eo non confitentur, licet aliunde noverint ipsos percipere lucrum ut supra, nulla de ea re facta interrogatione, quando timent ne poenitentes admoniti restituere aut a tali lucro abstinere recusent?

2. Utrum Episcopus possit hortari rigidiores confessarios consulendi causa ipsum adeuntes, ut priorum confessariorum agendi rationem sequantur, donec sancta Sedes expressum ea de quaestione judicium ferat?

Respondetur ad primum: Non esse inquietandos.

Ad secundum: Provisum in primo.

Datum Romae in S. Poenitentiarum die 17 Augusti 1831.

A: f. de Retr S. p Regens

L. S.

I. B. Salimmi S. P. Secretarius

8546 [Sull'usura]

Difficilis equidem et periculis plena, eadem tamen prorsus necessaria quaesitio est: quomodo se gerere debent confessarii cum iis qui, praesentibus in circumstantiis receptis pignoribus, mutuataque indigentibus pecunia, eandem exigunt cum auctario. Hic igitur, ne vos immorer proemiis, aliquid certi statuere est quo pedem figamus, seu quidam veluti termini, juxta Patrum et Doctorum probatiores regulas definiendi, quos praetergredi minime liceat. Itaque sit

8547 Prima propositio:

Licitum est in Montibus pietatis qui a Republica constituti sunt, et a Sede Apostolica approbati, accipere auctarium, titulo indemnitate: item in necessitatibus eorundem Montium pecuniam ibidem utiliter collocari, ab illis qui verum lucrum cessans paterentur, et meram ejus restaurationem exigent.

Leo enim X, in Concilio Lateranensi, Sess. 10 declaravit licere aliquid moderatum ad solas ministrorum expensas, et aliarum rerum ad illorum conservationem, ut praefertur, pertinentium, pro eorum indemnitate dumtaxat, ultra sortem, absque lucro eorundem montium suscipere.

8548 Paulus vero III, apostolicis litteris pro Mutinensi Monte, datis die 22 Junii anni 1542, declarat non aliis licere aliquid supra sortem accipere ob pecuniam apud montem depositam, nisi iis "qui eam alias, ut praefertur, in bonorum stabilium, aut aliarum rerum vel mercium exptiones, ex quibus majora lucra habere potuissent, exposituri fuissent": seu, ut Pius V pro Veronensi Monte, 13 Januarii 1563 loquitur: "Qui caritatis zelo adducti, ac pro pauperum subventionem, non foenerandi animo (pecunias deponunt eo tempore) quando merces paratas ac praedia ad emendum parata haberent, ex quorum reddito, quattuor et ultra pro centenario percipere possent;

8549 seu, ut Tridentini Patres et theologi, Navagerio Cardinali et Episcopo Veronensi nuper electo, nec non apostolico Legato apud idem Concilium, responderunt: "Qui pecuniam haberent paratam, et aut praedia, aut mercem, aut aliquid hujusmodi similiter in promptu, in qua pars, aut etiam majoris cum liciti lucri spe, eam revera collocare statuissent, caritate erga pauperes moti, sive etiam a magnificis Gubernatoribus Montis, vel aliis probis viris invitati, mutato consilio, eodem ac minori etiam suo certo cum lucro, eam apud Montem depositam, usibus pauperum mallent inservire.

8550 Secunda [propositio]:

Sicut a Republica, ita a privatis aere proprio fundari posse hujusmodi montes,

in quibus, spectato solo jure naturae, abstrahendo scilicet a legibus tum ecclesiasticis tum civilibus, et per se loquendo, si veri adsint vel damni emergentis, vel lucri cessantis tituli, et illae quoad fieri potest conditiones observentur quae a Pontificibus praescribuntur, nec usurarium, nec illicitum sit accessus moderati lucri, facilis est consecutio ex priore principio, et docet Sylvius, in 2-2 q. 78 art. 4 quaeritur 1 ad 1 et ad 2; et Lessius l. 2 De Justitia et jure, c. 20 n. 194; et probant alii in sacro jure et in morali theologia doctores, quos citat Franciscus Amostazo, De causis piis l. 4 c. 13, De Montibus pietatis, n. 11.

8551 Ratio est quia accessus ad sortem non exigeretur ibi tamquam lucrum ex mutuo, sed propter sumptus necessarios ad conservationem ipsius montis, ac pro stipendio et opere ministrationis pro aliis necessariis praestandis, puta conductione domus, confectione librorum, custodia pignorum et alia hujusmodi titulo justae indemnitis, vel propter recompensationem veri lucri cessantis, puta in eo qui lucrosa arte dimissa, in hunc praecise finem, ut suppono, pauperes juvandi, officinam publicam aperuerit.

8552 Tertia propositio:

Profecto ante praesentes hasce temporum circumstantias, quando Pietatis Montes a communitatibus erecti aderant, vel facile erigi poterant, illicitum erat sine dispensatione Apostolicae Sedis auctarium quantumvis exiguum, et quocumque etiam legitimo veroque titulo adstante recipere: quam tamen ecclesiasticam legem in hisce circumstantiis non urgere, sed sufficere civilem et publicam auctoritatem, non improbabilis opinio caetae prudenterque omnia circumspicienti esse videbitur.

8553 Probatur prima pars hujus propositionis ex responsis S. Congregationis Concilii Tridentini interpretis, ad Episcopum Adriensem 14 Martii anni 1637 datis, et ad Archiepiscopum Neapolitanum, die 7 Februarii ejusdem anni, lib. 15 Decretorum, pag. 486, ubi sic legitur: Loca pia et sacras aedes quae deposita retinent, dum mutant indigentibus pecunias accepto pignore, non posse quidquam a mutuatario, nisi ex Sedis Apostolicae dispensatione accipere.

8554 Secunda vero pars probabilis redditur, primo ex difficultate, et forte absoluta impotentia obtinendi, praesertim a privatis, hujusmodi dispensationem; secundo ex ratione finis praedictae legis, qui teste Benedicto XIV, De Synodo, l. 10,5, est ut omnis usurae suspicio quam longe abesset a Montibus illis pietatis, quos Tridentinum, Sess. 22 c. 8 De reformat., inter loca pia enumerat, et Episcoporum visitationi subjecit; tertio a necessitate instantissima pauperum, qui dum non meliori et tutiori, quo sinunt circumstantiae, modo subvenirentur, in voracissimas usurariorum fauces inciderent miserabili admodum necessitate jugulandi et inevitabili prorsus, eaque ultra modum crudeli exactione perimendi.

8555 Postremae vero partis ea ratio esse videtur: primo, quia Concilium Lateranense solum adprobat Montes pietatis qui per respublicas instituuntur; secundo, quia interest Reipublicae habere cognitionem talium rerum, et cavere ne in talibus fraudi satis obnoxiiis, aliqua fraus committatur; tertio, quia res esset scandalosa, viamque aperiret usuris; quarto, quia quod taxandum quid generaliter sit a mutuatoriis solvendum, privata auctoritas non sufficit. Ita Sylvius, *ibidem*.

8556 Ex his propositionibus jam positis, facile nodus solvitur quaestionis, nec non responsio fluit ad suppositos casus, in particulari ad secundum, qui ad nos proxime pertinet: An sint omnes a Sacramentis arcendi tamquam injustitiae usuraeque rei, qui praesentibus in circumstantiis, receptis pignoribus, mutuataque indigentibus pecunia, eamdem exigunt cum auctario, si careant omni titulo mutuo extrinseco. Cui satis clare apparet affirmativam responsionem convenire.

8557 Hic aliquid addere, nostri foret necessitas officii: confutando nimirum opiniones nonnullorum theologorum vel canonistarum. Prima autem est Laymani, l. 3 tr. 4 c. 16 nr. 11; Sporevii, tr. 6 sect. 2 § 2 nr. 39; Tamburini, l. 9 c. 3 § 2 nr. 5; qui mutuatoriis huiusmodi accipientibus pignus, simul lucrum concedere videntur, absque vero damni emergentis aut lucri cessantis titulo ea solum ratione quia pecunias paratas habent. Sed horum sententiam effuso vehementique insequitur stylo P. Daniel Concina, in sua *Teheologia Dogmatica et Morali* t. 7 l. 3 De justitia et jure, diss. 13 De mutuo et usura, c. 19 nr. 24.

8558 Altera opinio est nostri veronensis Zachariae Pasqualigo, *Decis. Moralium*, *Decis.* 183; Eligii Bassaei, verbo *Mons Pietatis*; Pignatelli c. 4 *Consult.* 151: qui asserunt eos qui colocant pecuniam in his montibus posse recipere accessionem dempto titulo. Fundamentum hujus sententiae praecipuum sunt Apostolicae Pauli II litterae, pro Ferrariensi Monte datae anno 1549, in quibus licite concedi posse asseritur accessionem annuam iis qui pecuniam otiosam in praefato monte collocant. Similes etiam litterae proferuntur pro Monte Bononiensi et Mutinensi. Sed clarus Petrus Ballerinius, opusculo 1 De *Mont. Pietatis*, cap. 3, § 3, satis luculenter evincit apocryphas esse huiusmodi litteras, et omnino supposititias. Hinc, ne actum agere videamur, satis erit vestrae eruditioni et diligentiae loca indicasse: interim brevitati servire cupientes, disputationem abrumpimus, et ab omni alia consecutione quae per se facile a jam propositis principiis erui posse videtur, libenter abstinemus.

8559 [SINTESI DELLA SOLUZIONE]:

Cum titulo indemnitate auctarium in Montibus exigere, vel *ibidem* titulo veri lucri cessantis utiliter pecunia liceat collocari,

Cum insuper per se loquendo jus naturae privato non vetet in hoc casu quod humana jura communitatibus concessere,

Cumque ecclesiastica lex de dispensatione obtinenda urgere propter temporum difficultatem nobn videatur,

Hinc, si qui praesentibus in circumstantiis aperta in hunc finem publica officina, ut receptis pignoribus mutuataque indigentibus pecunia, eandem exigat cum auctario, modo auctarium sit moderatum, et justo veroque damni emergentis et lucri cessantis titulo definitum, serrvatis quoad fieri potest regulis pro Montibus pietatis approbatis: non videtur inquietandus.

8560 [APPUNTI PER IL CASO SUI MUTUI CON INTERESSE]

Petrus Ballerinius, De jure divino et naturali circa usuram, l. 6 c. 3.

Primus est Japonicum decretum ejusdem Congregationis de Propaganda fide, cui Japonenses missionarii, inter duodecim dubia, hoc primum proposuerunt: Utrum liceat ex Japonis consuetudine, mutuam dare pecuniam ad rationem viginti aut triginta in centum, cum cautione aut sine cautione: ac proinde cum periculo capitalis. Responsum est: nihil ratione mutui praecise exigi posse titulo lucri: in damno emergente, lucro cessante, societate negotiationis, aut obligatione pretio aestimabili et vendibili, constitui debere quantitatem lucri, communi aestimatione definiendam, minore semper proventu cum adest securitas, quae et ipsa pretio redimi poterst. Super his monendos et instruendos contrahentes, et publica auctoritate praescribendam formam contractus.

8561 Nulla anni adnotatio apparet; sed aliquanto ante Sinense editum fuisse, probatur ex eo quod aliquanto ante Sinensis decreti tempus, Japonicae missioni aditus interclusus fuit. Habetur autem in collectione quadam Riminensi, cui titulus: Constitutiones Apostolicae, Brevia etc. pro missionibus Sinarum etc., pars 2 pag. 39 edit. Paris, 1676.

Quoad vero expensarum, aut alterius damni periculo, ex judiciis, difficili exactione, aut aliis ejusmodi, subjiciam id quod probatum est in quadam Instructione pastorali pro contractibus, quae plurium Italiae Episcoporum calculo firmata, pluribusque idcirco dioecesanis Synodis subjecta fuit.

8562 Videri potest post celebrem Synodum Farfensem Cardinalis Caroli Barberini, Romae editam anno 1686, pag. 693, et post Lucanam Synodum Cardinalis Julii Spinulae, Lucae, 1681, pag. 477, et alibi. Verba ipsa latine reddita non praetermittam, quae etsi verba proprie sint de vendendis mercibus credito, cum auctio pretii pro expensarum ac damni periculo, cum tamen in virtuale mutuum contineat, ad ceteras mutuaciones eadem ratione pertinet. "Si ob pericula, labores et sumptus qui in exigendo pretio, vel perdendo capitali, possent accidere, vult venditor justo rerum credito venditarum, pretio addere tantum quantum

dubitat ne perditurus sit, (id quod ipsarum rerum aestimationem superat est periculi pretium) scire etiam debet quod si venditor statuto tempore solvit sine ullo sumptu aut labore, totum illud plus remittere debet, et cautionis gratia chirographum illi exhibere, in quo promittat se remissurum tantum pretii, quantum supra justum adauxit, si ipse debito tempore solvet. Melius tamen esset supradictas res non perinde considerare ut justum pretium exinde augeatur, cum provideri omnibus periculi queat per media magis licita et justa, uti fideijussionis, aut alterius obligationis in solidum, aut deducendo in pactum fore ut emptor, si debito tempore non solvat, de omni damno et interesse teneatur, sicuti tenetur vere in conscientia, si in particulari ex negligentia aut malitia non solvit".

8563 Periculus sortis probabile extrinsecum, tum in genere tum in individuo, refert Boudart, Tract. 5 De praeceptis Decalogi, ex Jacobo Platenio, et Thoma Hurtado C. M. sub Innocentio X emanasse decretum ipso Pontifice approbante, quo Congregatio de Propaganda fide et Congregatio S. Officii censuerunt anno 1645... A Cabassutio relatum.

Henricus a S. Ignatio, l. 9 c. 31 nr. 377.

Ludovicus Bancel Dominicanus, professor Theologiae in Avenionensi civitate, et Fidei Inquisitore, in sua Morali Summa, verbo "Usura.

8564 Periculum probabile, extrinsecum, pro aestimatione probabilitatis in genere, in individuo, dummodo in auctionem consentiat mutuarius, et sit ei libertas securam alias reddere sortem.

Primo ex decreto sacrae Congregationis de Propaganda Fide, ab Innocentio X approbato, Romae typis edito anno 1645, a Cabassutio relato, refert Boudard, Tract. 5 de Praeceptis Decalogi, ex Jacobo Platenio et Thoma Hurtado. Innocentius X praecipit omnibus missionariis sub excommunicatione latae sententiae, ut omnia responsa hujus decreti observarent, et illis uterentur, donec sua Sanctitas, vel Sedes apostolica aliud statuerit.

8565 Non tolleratur autem tantum; nam quaerebatur an id esset licitum. Respondit S. Congregatio non esse licitum ratione mutui, sed ratione periculi propositi non esse inquietandos. Sane si id jure naturali esset illicitum, deberent Missionarii monere et impedire ne quid tale exigatur.

Secundo, quia probabile periculum sortis mutuo extrinsecum, quod nascitur ex eo quod detur homini deceptor, vel injusto, qui aliunde habet bona saltem in spe certa, et a tali mutuo separabile, nempe per pignus, aut hypothecam quam potest dare, et simul est pretio aestimabile; nam ex S. Thomas 2-2, 77, 4 ad 2: Licitum est carius vendere propter periculum cui venditor se exponit transferendo rem de loco in locum.

8566 La Congregazione non decide: male solo io potrei.

La Congregazione ha risposto come si può decidere: io pure ho sposto le varie

sentenze e le riflessioni di varj e sensati uomini, e lascio che voi giudichiate, e chiunque confidit in sua scientia, come dice Benedetto XIV. Aggiungerò bensì due altri lumi a chi vorrà decidere. Il primo è un Decreto Japonicum, quoad titulum expensarum est Instructio Pastoralis etc.

8567 Periculum aliquod probabiliter imminens indefinite probatum videtur a sacra Congregatione de Propaganda Fide; quale ante periculum probaverit saltem incertum; imo de qualitate, simul et quantitas, item de proportione lucri, ratio habenda committitur iis quibus in foro conscientiae decidendus particularis casus incumbit.

Periculum aliquod probabiliter imminens indefinite probatum videtur in Decreto Sinensi. Quale autem probaverit sacra Congregatio, saltem incertum; imo de qualitate hujus priculi, simul et quantitate, item de proportione lucri ratio habenda expresse committitur, iis quibus in foro animae decidendus particularis casus incumbit. Etiam in hac sane difficili decisione nonnihil adjuvari possunt ex Decreto Japonico, quod habetur in collectione etc. cui titulus item ex Instrukione pastorali, quae legitur post Synodum Farfensem et Lucanam.

8568 [Sui mutui con interesse]

Inter illos titulos qui, ut ait Benedictus XIV, Encyclica ad Episcopos Italiae, 1 Nov. 1745, tom. 1, Bull. Const. 143, Inter illos titulos qui una cum mutui contractu quandoque possunt forte concurrere, ipsi mutuo extrinseci, e quibus justa oriatur causa aliquid ultra septem exigendi, potissimum; locum obtinere damnum emergens, facilis est et constans omnium doctorum theologorumque sententia. Lucrum non intelligitur nisi omni damno deducto, ait Paulus Jurec. l. 17 Dig. tit. "Pro socio" l. 30. Ille inquit, S. Thomas, 2-2, 78,2 ad 1, qui mutuum dat, potest absque peccato in pactum deducere, cum eo qui mutuum accepit, recompensationem damni, per quod subtrahitur sibi aliquid quod debet habere. Hoc enim non est vendere usum pecuniae, sed damnum vitare. Haec de damno emergente.

8569 Sequitur autem immediate S. Doctor: Recompensationem vero damni, quod consideratur in hoc quod pecunia non lucratur, non potest in pactum deducere, quia non debet vendere quod nondum habet, et potest impediri multipliciter ab habendo. Quae Angelici verba, aliquem fortasse movere possunt ut lucrum cessans, non ita facile inter legitimos, de quibus loquimur, titulos admittat; eo magis quo S. Thomae sententiam vel a sanctorum Patrum regulis, apud quos altum est de hoc titulo silentium, vel a communi theologorum sui temporis doctrina, qui saltem huic titulo infensi fuerunt, nunquam abhorruisse omnino perspectum sit.

8570 Nihilominus communiter nunc theologi et canonistae lucrum cessans tamquam verum extrinsecum et justum titulum recognoscunt, ea ducti ratione quod spes lucri probabiliter futuri sit pretio aestimabilis; nam spes probabilis

capturae piscium ex jactu retis, juste vendi potest: l. 12, De actionibus empti et l. 8 De contrahenda emptione dicitur, quod spes emptio sit. Unde apparet quod cessatio talis spei aequivaleat damno actuali emergenti, cum sit jactura boni habiti et pretio aestimabilis. Non est autem aequum ut quis dispendium patiat, unde videtur praemium meruisse ex cap. "Pervenit" 2, De fidejussoribus.

Hinc primo, lucrum debet esse proxime futurum, non mere possibile et remotum; cum mere possibilium ratio non habeatur. Secundo, non ad aequalitatem rei, sed ad verisimilitudinem spei debet aestimari; nam res solum sperata non est tanti valoris quanti habita in se ipsa propter pericula et impedimenta quae evenire possunt.

8571 Ad quae duo respicere videtur S. Thomas, dum loco superius allato compensationem lucri negat posse in pactum deduci. Seipsum profecto clarius et luculentius explicat 2-2, q. 62, art. 4: Quicumque damnificat aliquem, videtur auferre id in quo ipsum damnificat; damnum enim dicitur ex eo quod aliquis minus habet quam debet habere; et ideo homo tenetur ad restitutionem ejus in quo aliquem damnificavit. Sed aliquis damnificatur dupliciter: uno modo quia aufertur ei id quod actu habebat; et tale damnum est semper restituendum secundum recompensationem aequalis; puta si aliquis damnificavit aliquem diruens domum ejus, ad tantum tenetur, quantum valet domus. Alio modo, si damnificat aliquem impediendo ne adipiscatur quod erat in via habendi: et tale damnum non oportet recompensare ex aequo: quia minus est habere aliquid in virtute, quam habere actu; qui autem est in via adipiscendi aliquid, habet illud solum secundum virtutem et potestatem; et ideo si rederetur ei ut haberet hoc in actu, restitueretur ei quod est ablatum non simplum sed multiplicatum, quod non est de necessitate restitutionis. Et in responsione ad primum et secundum, exemplum ponit ejus qui sparsa semina effodit, aut qui est in mora solvendi; docetque futuram messem lucrumve futurum, non secundum aequalitatem rei, sed secundum aestimationem spei restituenda esse, quia messis futura lucrumve speratum non actu sed virtute habentur.

8572 Quoad vero Patres, nec non antiquos theologos, observandum est quod antiquis romani imperii temporibus, cum usura centesima, idest duodecim annua in centum perciperetur, cupidi homines foenebre mutuuum praeferebant emptionibus vel fundi vel census, quae dimidium centesimae, idest sex tantum in centum reddebant, ut probat Salmasius, De modo usurarum. Imo, ut testatur Ambrosius, *l. De Tobia, c. 7 25 t. 1, 598 C*, iniqui foeneratores emptiones praeiorum aliis suadebant, ut pecuniam suam sub usuris in emptiones hujusmodi, majori cum lucro crederent. Itaque, cum in his usuris quae omne lucrum praediorum excedebant, lucri cessantis titulus allegari nullo modo posset, eatenus sancti Patres ejusmodi foenus nullo id genus titulo excusare potuerunt.

8573 Hac forte de causa sanctus Daniel Stylita (L. 2 c. 7) medietatem foeneris,

idest sex in centum, pecuniosis quibusdam permisit. Lucrum vero centesimae solum esse poterat in negotiatione. At in praxi, quam spectabant Patres, perrari casus semper fuere in quibus mutui causa negotiatio impediretur; primo, quia aetate Patrum, nimirum ante saeculum duodecimum, ut Broedersen testatur, p. 1128, nr. 5, mercatura non multum colebatur; secundo quia exceptis mercatoribus, omnes pecuniam occupabant foenore. Praeterea, condiciones ceterae legitimo lucro cessanti requisitae, raro fuerunt servatae eo tempore quo usura per se auctoritate legum exigi poterat. Nunc vero posteriori aetate, sublato per ipsas leges omni foenore, foeneratorum fraudes quae legitimos titulos et contractus effingere, aut quibusdam pactis vitare studuerunt, omnia in suspicionem vocarunt.

8574 Coursinos, celeberrimos foeneratores, specioso damni ac interesse titulo, maximas usuras occultasse Matthaeus Parisiensis memoriae tradidit ad annum 1235 et 1236; fictionis et fraudis suspicio nonnullos theologos lucri cessantis titulo infensos fecit. Communior tamen, inquit Petrus Ballerinus, Vindiciae etc. c. 9 nr. 10, communior vicit sententia, quae legitimum titulum non minus in lucro cessante quam in damno emergente approbavit, dum quaedam ad cavendum omnem fictionem et fraudem, et ad discernendum verum lucrum cessans adhiberentur, quas ipsae pontificiae Constitutiones pro Montibus pietatis editae efflagitarunt.

8575 Venio nunc ad titulum, ut ajunt, periculi, quod a nonnullis omnino rejicitur; verum alii melius distinguunt inter periculum facti et periculum juris; hoc est, quando mutuator in se periculum suscipit sortis. De quo juris periculo est celebre capitulum Gregorii IX, extra de Usuris. Naviganti, vel eunti ad nuncinas, certam mutuans pecuniae quantitatem, pro eo quod suscipit in se periculum recepturus aliquid ultra sortem, usurarius est censendus. Quidam hic asserunt mendosum esse textum, et legendum "usurarius non est censendus", quod et conantur probare ex contextu; sed forte melius qui contra pugnant et tabulis et testibus, inter quos S. Raymundus a Pennafort, cui directa est ipsa Decretalis. Quapropter alii ad sensum, seu mentem ipsius Pontificis, explicandum se convertunt, et fere diversa via abeunt canonistae a theologis, ut viderre est apud Fagnanum, qui dissidentes auctores ita studet conciliare: In foro externo ex praesumptione fraudis, usurarius semper est censendus: in foro animae vera videtur theologorum distinctio; nam, ut ait S. Antoninus, p. 2 tit. 1 c. 2, § 24, etiamsi non mutuaret et periculum navigantis in se vellet recipere, licite posset recipere pretium periculi, nec propter hoc quod ei servitium faciat in mutuando, efficitur deterioris conditionis.

8576 Periculum autem facti, aliud est commune omni mutuo, ratione cujus proinde nihil licet recipere, utpote quod sit mutuo intrinsecum; aliud est extraordinarium, sed quod oritur ex paupertate mutuatarum, de quo Christus:

Mutuum date, nihil inde sperantes, *Luc. 6,35*. Legem siquidem mutui nedum confirmans, sed perficiens, jussit dari etiam iis a quibus non solum lucrum, ut sal-

tem Hebraei faciebant, sed nec restitutionem capitalis, idest omnino nihil sperant: idque in gratiam pauperum, uti ed contextu et sententiis Patrum probatur.

8577 Denique est periculum quoddam extraordinarium, quod et separari posse a mutuo tum in genere tum in individuo contendunt, adeoque illi esse omnino extrinsecum; quod nimirum oriatur ex iniquitate mutuatarum, aut aliqua alia forte simili causa; de quo habetur Decretum sinense, a sacra Congregatione de Propaganda Fide, et ab Innocentio X approbatum, et Romae typis editum anno 1645. In sinarum regno, lege stabilitum est in mutuo 30 pro 100 accipiantur, absque respectu lucri cessantis aut damni emergentis. Quaeritur utrum Sinensibus sit licitum pro pecuniarum suarum mutuo, licet non interveniat lucrum cessans aut damnum emergens, praedictum pro centum, 30 regni lege taxatam quantitatem accipere. Et causa dubitandi est quia in recuperanda pecunia est aliquod periculum, scilicet quod qui accipit mutuatum fugiat, vel quod tardet in solvendo, vel quod necessarium sit coram iudice repetere, vel propter alia hujusmodi.

8578 Censuit sacra Congregatio Cardinalium, sanctae Romanae Ecclesiae, ratione mutui immediate et precise nihil esse recipiendum ultra sortem principalem; si vero aliquid recipiant ratione periculi, probabiliter imminens, prout in casu, non esse inquietandos, dummodo habeatur ratio probabilitatis periculi, et qualitatis ejusdem, asc servata proportione inter periculum et id quod accipitur. Et Innocentius X praecepit omnibus missionariis, sub excommunicatione latae sententiae, ut omnia responsa hujus decreti observarent, et illis uterentur, donec sua Sanctitas, vel Sedes Apostolica, aliud statuerit.

8579 Hinc, primo, nota decretum hujusmodi non esse definitivum, absolutum, peremptorium, sed tamquam provisionale, ut appellat. Deinde nota tria periculorum capita exprimi: Primo, quod debitor tardet in solvendo; hoc autem adducitur ad morae damna, nimirum ad lucrum cessans; secundo, quod necessarium sit coram iudice repetere; hoc vero difficilis exactionis expensas significat, nimirum damnum emergens. Damnum quidem et lucrum non praesentis, quod excludebatur in quaestione, sed futuri temporis, imo periculum damni et lucri cessantis: Haec duo pericula non pertinent ad capitale. De fuga autem mutuatarum, qua tertium periculi genus constituitur, solum dubitari potest ad periculum sortis pertinere; nam unum indicare etiam potest expensas in sorte recuperanda, nimirum in quaerendo, inveniando, adigendo fugientem mercatorem. Quarto loco ponitur: "vel propter alia hujusmodi, hoc est alia pericula in eodem genere, quorum tamen species non individuatur. Porro.

8580 In hoc decreto aliquod indefinite periculum approbatum fuisse certo dici posse videtur, nempe probabiliter imminens; ad hoc tamen definiendum in individuo, vult sacra Congregatio rationem haberi, primo qualitatis, secundo quantitatis ejusdem, tertio proportionis pretii. Ad alios autem hanc rationem

habendam remittit ut casus decidatur; ita dijudicandi saltem regula fuit hoc in capite praescripta, etsi non peculiaris et practica definitio.

Duo nunc tantum affero monumenta, ut aliquid luminis ei afferatur cui erit in praxi hac de materia judicare. His de periculo et de titulis in genere: nunc ad propositam quaestionem: An sit

- justus titulus exigendi ex mutuo lucrum quando illud exigatur in favorem pupillorum minorumve.

8581 Videri autem posset quod sic; nam primo, caritatis quodammodo, seu pietatis titulus adest; secundo, quidam in Aremorica theologus docuit donationem usurarum hoc in casu a republica factam esse; tertio, quod pupillorum interest resarcire, atque compensare tutores ipsi secundum legem tenentur, nisi hujusmodi pecuniam in illorum utilitatem collocaverint; quarto, consuetudo allegari potest in Belgio quondam legitime inducta et ab Ecclesia probata.

Sed contra est, primo Contilium provinciale Mediolanense, sub Sancto Carolo Borromaeo Constitutionum p. 2 De usuris: Ex mutuo vel depositis, etiam apud Judaeum factis, nihil praeter sortem a quovis homine percipi ex convento, vell principaliter superari possit, tametsi pecuniae ipsae sint pupillorum aut viduarum, aut locorum piorum, nisi quatenus id jure nominatim permittantur.

8582 Secundo, Conv. Melodun. cleri Gallicani, anni 1529 tit. 34, De usuris: Curandum ne quid ex mutuo vel depositis apud Judaeum factis, aliquid praeter sortem a quovis homine percipi ex convento, vel principaliter sperari possit; tametsi pecuniae sint pupillorum aut viduarum. Omnes enim tenentur audire illud Christi: Mutuum date, nihil inde sperantes, *Luc. 6,35*.

Tertio, Concilium Burdigalense, anni 1583 tit. 31 De usuris et illicitis contractibus: Ne cui igitur ex mutuo, praeter sortem, ex convento, vel eo quod datum est, aliquid amplius accipere aut principaliter sperare, sive ejusdem generis, sive alterius quomodocumque, etiamsi operae sint, liceat: etsi pecuniae ipsae sint pupillorum, aut viduarum, aut locorum piorum, vel etiam dotales, nisi quatenus id jure permittitur. Mutuum enim ex praecepto divino debet esse gratuitum.

8583 Respondeo itaque dicendum quod secundum se est malum, naturalique ac divina lege absolute et indistincte prohibitum, ob nullam acusam licitum fieri potest, aut quocumque caritatis praetextu. Quare Alexander III, capite 4 "Supra eo" Extr. De usuris, declarat Ecclesiam in recipienda pecunia ad usuram, dispensare non posse, ut pauperes qui a Saracenis captivi detinentur ex pecuniis inde provenientes redimantur. Cum usurarum, ait, crimen utriusque testamenti pagina detestetur, super hoc dispensationem aliquam posse fieri non videmus, quia cum Scriptura sancta prohibeat pro alterius vita mentiri, multo magis prohibendus est quis, ne etiam pro redimenda vita captivi, usurarum crimine revolvatur.

8584 Nullo igitur caritatis praetextu potest fieri licita usura, et si ne quidem ad redimendam vitam captivi, multo minus ut pupillorum utilitatibus consulatur. Hinc Sanctus Thomas, seu auctor opusc. 23 De usuris, cap. 12: Si tutores pupillorum scienter pecuniam pupillorum dederint ad usuram per se vel alios, hujusmodi superabundantia rei est alienae, injuste possidetur etiam a pupillis, quandocumque resciverint. Et sanctus Raymundus, libro 2 tit. De usuris, § 9, in fine: Sicut prohibetur aliquis recipere usuras nomine suo, ita et alieno; et si accepit alieno nomine, sive sit tutor, sive curator, vel quicumque alius, tenetur ad restitutionem si ille cujus nomine accepit vel non est [aptus] solvendo, vel non vult restituere; quia facientes et consentientes, par poena constringit.

8585 Quam doctrinam a Sancto Leone accepit apud Gratianum dist. 46, can: Sicut non suo, ita nec alieno nomine aliquis clericorum exercere foenus attentet. Indecens est enim crimen suum alienis commodis impendere; ubi Glossa: Si aliquis tutor a me recipit usuras nomine pupilli, finito officio possum petere usuras a tutore, quia pro alio peccare non debuit. Hinc sacra facultas Parisiensis, illius ab Aremorica supracitati theologi, inane et absonum commentum de donatione usurarum hoc in casu a Republica facta, merito rejiciunt, et ut cavillatorium atque ad usuram palliandam ab auctore male feriato adinventum, et sine fundamento vulgatum rejiciunt et reprobant. Et quamvis ob bonum commune liceat Principi per legem aliquam communem subditis auferre jus et dominium, transferentes illud in alium, ut patet in lege praescriptionis, non tamen possunt principes licitas ob ullam causam quae de se malae sunt facere usuras, ut probat leurenus, Fori ecclesiastici l. 5 tit. 19, Q. 342.

8586 Atque ex his patet responsio ad primam et secundam objectionem. Ad tertiam dicendum quod leges principum, quibus olim mandatum est tutoribus ut pecunias minorum vel in praedia converterentur, vel foenori darent, jampridem quoad usuras explosae sunt, ut notat Covarruvias l. 3 c. 2, c. 3, nr. 1; Navar. in comm.o De usuris nr. 34; Petrus Gregor. De usuris l. 2 c. 3, nr. 15; Gutier Roderic etc. Qua ratione admittenda non est Novella Justiniani constitutio 22, quatenus permittit tutoribus, si ipsi velint, pecuniam pupillarem foenerare; hoc enim iniquum est et legi divinae contrarium; quod subindicat etiam Justin. eodem loco, dum refert etiam tum viros Dei memores, tutelae onus declinasse, propter necessitatem illis impositam pecuniam pupillarem foenerandi.

8587 Jam tum enim veritas sese exerebat, et jam multis Patrum decretis usurae velut natura sua turpes et nefariae prohibebantur; quare ne viros probos et Deum timentes a suscipiendis pupillorum tutelis haec jura removerent, illos legibus solvit quibus pecuniam pupillarem foenerare cogebantur, illisque hoc liberum reliquit. Quoniam videmus, ait imperator, curatores quicumque Dei memoriam habent, ad curam difficulter accedere, videmus praecipue difficilem esse curatorum causam

propter foeneratorum necessitatem, sancimus nullam necessitatem ex legibus esse curatoribus, minorum pecunias foenerare; sed caute reponere, et reservare. Ita ille tamedī congruentius sacris decretis fecisset si tutoribus omnino et reliquis omnibus, foenerandi licentiam cohibuisset, quemadmodum... in suis quaestionibus illustribus q. 12, testis est olim in Gallia edictis regis usuras pupillares condemnatas esse, et tales usu receptas fuisse leges in Gallia refert Bochelus, in sua Bibliotheca.

8588 Itaque tutores et curatores non tenentur ad restitutionem ob eam causam quod pupillares pecunias foenerari non fuerint, sed ob negligentiam: quod nimirum eas non converterint in emptiones praediorum, vel census annui constitutionem, vel ex illis negotiati non fuerint, aut mercatoribus non dederint ad societatem. Id enim si tutores praestiterint, consanguineorum consilio, et adhibita etiam si necesse sit magistratus auctoritate, nulliusque negligentiae reos esse se probent, ad usuras propter rem pupillarem male gestam aut administratam solvendas, nullius aequi iudicis sententia damnabuntur. Ita Natalis Alexander, Theolog. Dogm. et mor. l. 3 etc. Profecto inter Constitutiones Aurelianenses anno 1002, sic habetur: Tutores atque curatores minorum, statim ac perfecerint inventarium bonorum ad pupillos suos spectantium, curare tenentur ut publica iudicium auctoritate vendantur peritura illorum mobilia, atque collectas inde pecunias, consanguinorum atque amicorum consilio, in bonorum immobilium vel census emptione impendere.

8589 Ad quartum vero dicendum quod olim, ut notat Ballerinus, Vindiciae c. 1, in Belgio, sicut in aliis catholicis locis, ac praesertim in Germania et Hispania, reales legitimi census in solius venditoris gratiam redimibiles, ex Martini V et Callisti III aut Nicolai V Constitutionibus, usque ad medium saeculum decimum sextum, creabantur ab omnibus qui pecuniam hominibus fundos habentibus dabant. Idque jus vulgatum atque certum, testatur ipsa Philippi II Sanctio, anni 1567, qua (ut videre est apud Boadersenium, l. 1, p. 1 nr. 32) qua a Delphensibus rogatus in gratiam pecuniarum pupillarium, quibus ex Caroli V edicto anni 1550 reales census emebantur, scripto juri derogandum putavit, ut pupilli cum ex tutela excessissent, si collocatio censualis displiceret, utiliusque sibi ducerent pecuniam negotiari aut alia ratione occupare, census redemptionem a venditoribus exigere et pecuniam reposcere possent.

8590 Edita mox Pii V Bulla de censibus, quae hoc pactum in emptorum gratiam appositum sustulit, nec non Gregorii XIII Constitutione, qua etsi eodem Philippo II intercedente a Pianae Constitutionis rigore dispensavit, tamen pacta antiqua Nicolai V Bullae contraria, si alicubi inducta essent aboleri praecepit, inter quae pactum redimendi, in emptoris gratiam censetur, ut supralaudatus idem Ballerinus, Opusc. 1 c. 4, § 3, late probat. Nicolaus vero Broadersenius, De usuris, l. 2 p. 2 c.

15, § 6, nr. 5, p. 1739, refert quod non multo post evenit: nempe anno 1588 inter quaestiones die 22 Septembris a Salsboldo Episcopo apud Belgas propositas Apostolico Nuntio, et Jansonio theologo Lovaniensi, quinta est de pupillorum pecuniis ad Senatum delatis atque depositis, cum annuo moderato lucro ex antiqua consuetudine, eo pietatis consilio, quemadmodum ille opinatur, inducta, ut exinde egestatem patientibus succurreretur minori cum damno, pupillis autem, dum pietati serviunt et interesse verum patiuntur, aliquid supra sortem rependeretur.

8591 En ipsius Salsboldi verba: Haec res videtur initium habuisse ex intuitu pietatis, qua et pupillis et egestatem patientibus occurritur; dum hi a damno majori hoc modo liberantur, et illorum bonum, dum pietati serviunt, et interesse verum patiuntur, spontanea insuper gratiae (sub vocabulo gratiae Salsboldus propria manu scripsit "lucris") oblatione fructificant. Ad quae verba Broadersenius ipse, l. 6, p. 2, c. 69, nr. 105, p. 1177: Credibile est, ait, tutores illos antequam Montes Pietatis instituti fuerint, nonnunquam similia respectu egentium egisse, qualia nunc in dictis Montibus factitantur. Pro, hac institutione et consuetudine, quae ab Episcopis Belgis probata tradebatur, Salsboldus subjicit etiam Apostolicum indultum, his verbis: Audivi diverso tempore a viro consulari nostrati, haberi apud nos indultum apostolicum et Episcopi Ultrajectini, quod dicebat se ipsum in arcam reposuisse Camerae.

8592 Si verum est hoc apostolicum indultum, nihil differre potuit ab illis quibus nunc Pietatis Montes ab Apostolica Sede probantur. At cursu temporis nulla veri lucris cessantis ratione habita, pupillares pecuniae ad lucrum credebantur, praesertim mercatoribus, ac si privilegio peculiari liceret in his foenus quod in aliis non licet, ut saepe citatus Broedersenius testatur, l. 12, p. 2, c. 15 etc. Hinc pupillarium pecuniarum collocationem nominatim damnarunt Synodi Belgicae Cameracensis, Iprensis, Atrebatensis, et Directorium Octavii Ferrarii Episcopi Tricassini et Apostolici Nuntii. Pro omnibus una audiatur Synodus Melchonicurum titulo "De usuris". Quoniam usura jure divino et canonico omnibus Christianis sub poena peccati mortalis interdicitur, neque facienda sunt mala ut eveniant bona. Synodus statuit et ordinat ne quis tutor sub praetextu augmentandi patrimonii pupillorum... pecunias illorum sub certo lucro singulis annis ultra sortem recipiendo, mutuo dent, retenta facultate repetendae sortis, quando ad majorem aetatem pervenerint, aut matrimonium contraxerint, aut alias ad illorum voluntatem et arbitrium: declarando omnes hujusmodi contractos usurarios, et contra (ut praemittitur) mutuantes, tamquam contra usurarios ad poenas juris procedendum.

8593 [Sulle Vendite illecite]

Ut propositae quaestioni, quae plura respicit, eaque satis gravia, nonnulla etiam difficultate plena breviter et dilucide, juxta vires, satisfaciam, per partes procedere, atque certa simul a minus certis discernere consultius visum mihi est.

1. - Sit itaque primae vel propositionis loco, quod Julius Paulus scribit, lib. 6 ad edictum, et refertur l. 18 Digest. tit. 1 De contrah; empt. Leg. 34: Omnium rerum quas quis habere vel possidere, vel persequi potest, venditio recte fit; quas vero natura, vel gentium jus, vel mores civitatis commercio exuerunt, eorum nulla venditio est.

8594 Dicit autem, primo, "natura"; hinc illicita et invalida foret venditio rei spiritualis, hominis liberi etc. ut passim Doctores. Dicitur secundo, "jus gentium"; adde: vel divinum, vel canonicum, vel civile, vel etiam particulare, ut cum aliis recte Azorius, p. 3 l. 7, c. 5, nr. 2: Hinc illicita et nulla venditio est, exempli gratia loci sacri et religiosi, rei spiritualibus annexae, etc. Dicitur tertio: "vel mores civitatis". Hinc illicita et nulla est venditio rei publicae, in publico usu, ut habet ibidem Glossa.

2. - Illicita est ventitio rerum quibus homines uti non possunt absque peccato. S. Thomas, 2-2, q. 169, art. 2 ad 4: Si qua ars est, inquit, ad faciendum aliqua opera quibus homines uti non possunt absque peccato, per consequens artifices talia faciendo peccarent, utpote praebentes directe occasionem peccandi. Hujus generis esse poterunt exempli causa vestes lascivae.

8595 3. - Illicita est venditio rerum quibus ut plurimum homines male utuntur, nisi forte satis certo scias hic et nunc eas emi ad bonum usum. Colligitur ex responso Caji Jurisconsulti, l. X ad edict. prov., quod citatur l. 18 Digesti tit. 1 lege "Quod saepe es". 2: Veneni mali quidam putant emptionem non contrahi, quia nec societas aut mandatum flagitiosae rei ullas vires habet. Quae sententia potest sane vera videri de iis quae nullo modo per adjectionem alterius materiae usui nobis esse possunt. De his vero quae mixtae aliis materiis adeo nocendi naturam deponunt, ut ex his antidota et alia quaedam salubria medicamenta conficiantur, aliud dici potest.

8596 4. - Earum rerum quibus homines uti bene vel male possint quotiescumque canonicas aut civili lege aliqua justa, conscientiam onerante, prohibeatur venditio, illicita pariter erit censenda, quod patet. Sicut exempli gratia, omnium armorum ad necem clam et dolose inferendam aptorum, venditionem vetitam in Ecclesiastica Ditione a S. Pii V et Alexandri VIII, et aliorum Pontificum Constitutionibus passim novimus.

5. - Ejusmodi rei venditio, qua quis bene uti potest, sed cum intentione ut abutatur ipse in malum, illicita est ex Apostolo, *Rom. 1,32*: Quia non solum digni sunt morte qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.

6. - Illicita pariter est venditio rerum quibus bene uti homines possunt, si alter praevideatur abusurus in damnum religionis aut reipublicae. Hujus malae speciei exemplum peti potest ex Constitutione quadam Benedicti XIV nr. VII, quae legitur Bullarii sui tomo 261.

8597 7. - Ejusmodi etiam rei qua emptor abusurus praevidetur, illicita est iis in circumstantiis in quibus proxime ad peccatum concurrere eadem censi posset. Evincunt theologi, ex Propositione 51 damnata ab Innocentio XI: Famulus qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam virginem, et multoties eidem subservit deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter si id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne a domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.

8598 8. - Denique illicita est ejus rei venditio qua alter abusurus praevidetur etiam in casu quo traditio ad malum proxime non inserviret, ubi saltem sine gravi damno potest denegari, vel nulla justa et proportionata causa excusare valeat hanc traditionem. Unicuique enim mandavit Dominus de proximo suo. *Eccli. 17,12*. Quare si tenetur quisque proximum tum revocare a peccato, tum impedire ne in peccatum labatur, si possit saltem sine gravi incommodo, a fortiori tenebitur ex caritate non suppeditare materiam peccandi. Ita egregie Gabriel Antoine, et fuse Petrus Ballerini, in praelectione, V. De Scandalo, ad S. Antonin.

8599 Haec satis certa sunt, et sufficere arbitror pro fundamento ad subjecti casus solutionem. In quo equidem de armorum et veneni venditore sententia aperta ex dictis est. Difficultas adhuc remanet quoad fucos, aleas, taxillos, chartas lusorias et similia, de quibus dubitatio occurrit, an in eo genere sint quo uti bene homines possint. Quod autem primo hujusmodi rebus uti aliquando possint homines absque peccato mortali, sufficere videtur auctoritas S. Thomae et Antonini. Ille siquidem de fucis loquens, quaestione citata, 2-2, 169, 2 ad 2, ait: Non semper talis fucatio est cum peccato mortali, sed solum cum fit propter lasciviam, vel in Dei contemptum. Rationem etiam tangit Angelicus Doctor, ubi supra, *ibi*, praemisera quod fucatio species est fictionis. Constat namque, ut bene adnotavit Cajetanus *ibi*, quod fictio nisi sit perniciosa non est peccatum mortale, sicut de mendacio dicimus, quod solum perniciosum est mortale. Mulierum autem fucatio officiosa est, ad pulchritudinem serviens, non perniciosa secundum se, sicut nec suprema pulchritudo naturalis.

8600 De aleis vero, taxillis, chartis lusoriis, S. Antoninus ait, p. 2 tit. 1 cap. 23: Ludus aleae est peccatum mortale secundum Raymundum, quod credo verum quando ex cupiditate quis ludit, scilicet principaliter motus non ob recreationem, sed ad acquirendum quid notabile per ludum; nam ludere quid modicum, ut pueri faciunt, vel ob recreationem et moderate, non videtur mortale. Nunc autem ulterius potest inquiri an etiam prorsus absque peccato in aliquo casu earumdem rerum usus praesumi prudenter possit: quod adhuc difficilius est enodare.

8601 Quantum igitur ad fucos, theologi nonnulli, inter quos Franciscus Syltius in suis ad Divum Thomam Commentariis, et P. Daniel Concina, Theologiae

moralis, tr. 7, inducunt in hac specie doctrinam quam Divus Thomas supralaudato jam loco, 2-2, 169,2 ad 2, trahit his verbis distinguendo: Sciendum tamen est quod aliud est fingere pulchritudinem non habitam, et aliud occultare turpitudinem ex aliqua causa proveniente, puta aegritudine, vel aliquo hujusmodi; hoc enim est licitum. Supponunt porro laudati theologi mulierem aliquam fucō uti posse ad occultandam turpitudinem, quo speciali in casu fucorum usus a mendacii fictionisque macula salvari possit; a quo proinde, si vanitatis insuper et luxuriae intentio arceatur, accedente maxime quadam veluti justa et rationabili causa (puta ne a viro suo alienae ut fit pulchritudini inhiantē summopere injuriam in honesto thalamo ipsa patiat, aut potius jurium omnium et honestatis auctor Deus) concludere rationabiliter ipsi videntur, talem determinatum, hisce aut forte similibus circumstantiis, usum absque peccato esse.

8602 Quoad aleas, modo inquirendum est postremo, num aliquis pariter usus esse possit absque peccato. In canone 42 et 43, inter vulgares apostolicos, ita legitur: Episcopus aut presbyter, aut diaconus aleae atque ebrietati deserviens, aut desinat, aut certe damnetur. Subdiaconus autem, aut Lector, aut Cantor, similia faciens, aut desinat, aut communionē privetur. Similiter etiam laici. Conc. Eliberitanum, can. 79: Si quis fidelis alea, idest tabula luserit, placuit etiam abstineri; et si emendatus cessaverit, post annum reconciliari. Quocirca verius putamus, ait Benedictus XIV, l. 7 Syn. Dioec. c. 61, nr. 1, alearum lusum omnibus quidem christianis, sed speciatim ecclesiastica esse prohibitum.

8603 Itaque, quantum ad Ecclesiasticos; Synodus Romana sub Eugenio II, can. 11: Sacerdos sedulo divina debet perscrutari et admonere eloquia... Quam ob rem ludos coram se fieri non delectetur. Transgressor quidem inventus, admonitione Episcopi ulterius agere desinat: sin autem canonice judicetur. Innocentius III, in Concilio Oecumenico Lateranensi: Ad aleas et taxillos ne ludant, nec hujusmodi ludis intersint. His praecognitis, quae a sacris statuta sunt canonibus (quorum seriem videre est, veterum quidem a Christiano Lupo in notis ad can. 50 Trull., recentiorum vero a Thomassino collecta, part. 3, De veteri et nova Ecclesia disciplina, l. 3, c. 26, cum non solum aleae ludere, sed et interesse et spectare, et coram se fieri delectari, ecclesiasticis sit vetitum, de his amplius non inquirimus.

8604 Circa laicos fideles, unice quaestio remanet. Obserevandum autem est quod supra laudatus Pontifex Benedictus XIV canonistarum facile princeps, ibidem asserit: nimirum abn Ecclesia legibus alearum lusum omnibus christianis prohibitum ob eandem rationem, propter quam illum damnarunt vetustae Romanorum leges: quia nimirum per illum homines ad fraudes; fallacias, mendacia, perjuriam, furta, aliaque enormia scelera inclinantur; ut videre etiam est apud Cornelium Tacitum, in libro De moribus Germanorum, cap. 14, et Ammianum Marcellinum, l. 14, cap. 19, et l. 18, c. 22.

8605 Itaque si statuatur in praxi casus aliquis in quo hujusmodi crimina a tali ludo arceantur, non solum sed etiam eorumdem criminum fomentum et periculum, quod finis praecipuus legis esse videtur: seclusa cupiditate omni, maxime accedente, quasi cohonestante quadam et rationabili causa, puta si pater familias Deum timens, pueros suos sub levissimo aliquo munusculo ludentes coram se, domi contineat a malorum consortio, vel ab aliis morum stupendis periculis, non videtur in hoc casu contra legem peccatum esse. Quod et leges ipsae indicare non obscure admodum videntur. Lib. XI Digesti tit. 3 De aleatoribus, Lege fin. ex responsis Pauli celeberrimi romani iuresconsulti, l. 10 ad edictum, uti sic ait: Quod in convivio vescendi causa ponitur, in eam rem familia ludere permittitur, ut quemadmodum etiam ibi, explicat Glossa, si pauciora puncta habueris amittas portionem tuam: sic ut ex pecunia qua unus vel plures amiserint emanant aliqua ut vescantur communiter.

8606 Porro sub alea nomine, juxta sacrorum cononum mentem, intelligi omnem lusum a fortuna potius quam ab industria et arte pendentem, animadvertunt Vallensis, ad tit. 1, l. 3, Decret. nr. 12, et Sanctus Antoninus, loco citato, Tuldenus autem ad titulum cod. De aleatoribus. Non tantum, inquit, tesserarum lusus, sed quicumque alius perinde a fortunae eventu, immo vel a solertia pendens continetur, et in lucrum exercitus, improbat.

Hinc patet quid de chartis lusoriis et similibus statui possit; nam quo magis in hisce ludis fortunae detrahitur, et solertiae tribuitur, remota lucri cupiditate, et fine legis rite servato, eo minus erit difficile casum statuere specialem, in quo sub occurrente aliqua fortassis honesta et rationabili casu et circumstantia, eorumdem absque peccato usus, omnia circumspicienti, possit apparere.

8607 [Sintesi della soluzione]:

Quae acquiri non possunt, nulliter venduntur. Quorum vero malus tantum usus, aut lege prohibitus, vel quibus male usus emptor praevideatur, contra bonum publicum religionemve, aut etiam in privatum alicujus sive proprium, ad quod traditio ipsa concurrat proxime aut, si remote tantum, quando sine gravi saltem damno denegari possint a venditore nullam habente justam ac proportionatam causam excusantem, eorum omnium illicita venditio est.

Quare, qui vendit arma, venena, aleas, taxillos, chartas lusorias, sic excusari videtur ut non peccet tunc, vel non sit in malo statu quando, cum quodam circumstantiarum discrimine, vendat et cautela prout supra, juxta quantitatem periculi ex parte rei vel personae ad abusionem. Quia non omnis praedictis omnino usus malus simpliciter apparet.

8608

[SUL GIUSTO PREZZO]

Ad propositam hodie quaestionem, dicendum quod pretium justum, seu aequale, est quod exaequat valorem mercis. Si enim, inquit S. Thomas, 2-2, 77, 1, si pretium excedat quantitatem valoris rei, vel e converso res excedat pretium, tolleretur justitiae aequalitas. Valor autem rerum duplex est: naturalis et usualis, quemadmodum ait S. Antoninus, p. 2, tit. 1, c. XVI. Valor naturalis rei est secundum bonitatem naturae a Deo in re creata; et hoc modo mus, vel pulex, vel formica, plus valent quam panis; quia illa habent vitam, animam, visum, et non panis, vel respectu ad usum nostrum: et hoc modo quando aliqua sunt usibus nostris utiliora, tanto plus valent; et secundum hoc panis plus valet quam mus.

8609 Quantum autem ad pretium adaequandum in emptione et venditione, ut in praesenti, valor rerum non ex ipsarum naturali perfectione absolute, sed ex ipsarum utilitate, sive usu potius in ordinem ad finem humanae vitae pensari debet, secundum hominum aestimationem; prout etiam S. Augustinus satis innuit libro 11 De civitate Dei, c. 16, t. 7, 284 E sqq. Quis enim, inquiens, non domi suae panem habere quam mures, nummos quam pulices malit? Sed quid mirum, cum in ipsorum hominum aestimatione, quorum arte natura tantae est dignitatis, plerumque carius comparetur equus quam servus, gemma quam famula?

8610 Porro finis humanae vitae triplex potissimum esse videtur, secundum quod appetunt homines in primis ipsum vivere absolute, deinde etiam commode, postremo honeste, sive cum quodam splendore, vivere. Et ideo rationabiliter tanti apud homines valent res, quantum ipsis ad triplicem hunc finem assequendum inserviunt. Cum igitur omnia quae in mundo sunt propter hominem facta sint, egregie P. Rebus Besomb. De contractibus, c. 5, § 4: Juxta prudens judicium, tanti aestimari debent, quantum hominibus inserviunt, vel ad eorum vitam fovendam, ut sunt victus et vestitus, vel ad honestam voluptatem procurandam, uti viridaria, concentus etc., vel ad ejus dignitatem ostendendam, uti magistratus, munera publica etc.

8611 Ad explorandum autem hunc valorem usualement rerum, circumstantiae aliquae sunt attendendae, quas et late expendit, et trifariam distribuit Jo. Medina, Codice de rebus restituendis, quaest. 31. Quaedam enim sunt circa merces ipsas, ut copia vel inopia, fertilitas seu sterilitas, necessitas et commoda, melioratio vel deterioratio. Quaedam circa venditores, ut labores, expensae, pericula, damna in illis comparandis, adducendis, conservandis; item modus vendendi, an sub hasta, an per mercatores, an ultro offerant, an rogati vendant, an in magna quantitate, an minutim. Quaedam demum circa emptores, sintne pauci an multi, sitne pecuniae copia vel inopia. Ex his omnibus circumstantiis major vel minor utilitas seu indigentia, seu necessitas rerum prudenti aestimatori constabit, unde earum crescit vel decrescit valor.

8612 Notandum autem valde est, quod aequissime admodum in jure cautum hic reperitur (nimirum L. "Pretia", § ad Leg. Falcidiam): Pretia rerum, non ex affectui aut utilitate singulorum, sed communiter, finguntur, hoc est definiuntur. Communi igitur prudentum judicio haec aestimatio relinquitur, ut privatae cupiditatis vel illusio, vel fraude deceptio, et ejusdem quoque periculum quam maxime, utpote a recto justitiae calculo distans, longe sit. Hoc itaque censetur pretium justum secundum rationem seu naturaliter, quod ex communi judicio fori, seu vulgari hominum aestimatione attentis circumstantiis, seculis fraude et monopolio, constitutum sit. Hinc dicitur naturale pretium, seu vulgare.

8613 Quod tamen cum hominum judicia inter se aliquantulum differre, neque omnino in eodem mathematico puncto soleant convenire, quamdam habet et quidem justam dividuam latitudinem: hoc est pretium infimum seu pium, moderatum seu medium, supremum seu rigorosum. Pretium rerum, ait S. Thomas, 2-2, 37, 1 ad 2, non est punctualiter determinatum, sed magis in quadam aestimatione consistit, ita quod modica additio vel minutio non videtur tollere aequalitatem justitiae.

Unanimis est itaque doctorum sententia, teste P. Reinff. t. 17, § 5, in emptione et venditione tamdiu justitiam servari, quamdiu limites summi aut infimi pretii servantur. Hos vero si quis excedat, injustus fit, et contradicit Apostolo praecipienti, *1 Thess. 4,6*: Ne quis supergrediatur neque circumveniat in negotio fratrem suum: vindex est enim Dominus de his omnibus.

8614 Terminos autem justae hujus latitudinis, cum haud facile statuere sit, satius et hoc videtur prudenti hominum judicio relinquere definiendum, ait P. Scarpazza, Theol. Mor. t. 5, tract. 8, p. 3 c 2, § 2. Illa una potest esse regula a plerisque sapientibus, et christianae ethicae scientibus viris probata, nimirum: quo res venalis vilior est, minorem recipere justii pretii latitudinem; majorem vero quo pretiosior. Hinc, si communis rei moderatum pretium sit 10, infimum erit 9, summum 11. Sic latitudo erit infra 2. Si pretiosae pretium moderatum sit 100, latitudo erit infra 10, aut circiter.

8615 Licet enim, ait S. Bernardinus Senensis, tom. 2 Operum, serm. 36, ar. 1, cap. 3, licet enim aestimatio nostra in taxando rei pretium seu valorem, non sit punctualis, nihilominus potest et debet illud sub congruis limitibus mensurari, alias excederet congruam et probabilem mensuram, et etiam regulam rationis. Hoc itaque est velut primum pretium justum, naturale. Est etiam alterum, quod vocant legitimum, eo quod a publica potestate legitime taxetur. Supremae autem potestati, sive per se sive per suos delegatos, taxandi mercibus pretium revera jus inesse apud omnes constat. Sigismundus Scaccia, tractatus De Commerciis, p. 3: Certe potest, inquit, Princeps, quando quod agit juste agit, maxime si publicam respicit utilitatem; quia Princeps alique reges, dicuntur tutores publici status. Senec. De

clem. l. 1.

8616 Quod autem etiam expediens sit per legitimam potestatem taxari pretium in quantum possibile est, potius quam vulgari hominum iudicio relinquere determinandum, satis apparet consideranti generalem doctrinam Divi Thomae, 1-2, q. 95, 1 ad 2: Dicendum quod, sicut Philosophus dicit 1 Rethor.... melius est omnia ordinari lege, quam dimittere iudicium arbitrio, et hoc propter tria: Primo quidem, quia facilius est invenire paucos sapientes, qui sufficiant ad rectas leges ponendas, quam multos qui requirerentur ad recte iudicandum de singulis; secundo, quia illi qui leges ponunt ex multo tempore considerant quid lege refendum sit; sed iudicia de singularibus factis fiunt ex casibus subito exortis: facilius autem ex multis consideratis potest homo videre quod rectum sit, quam solum ex uno aliquo facto; tertio, quia legislatores iudicant in universali et de futuris; sed homines iudicii praesidentes, iudicant de praesentibus, ad quae afficiuntur amore vel odio, aut aliqua cupiditate, et sic eorum depravatur iudicium. Quia ergo iustitia animata iudicis non invenitur in multis, et quia flexibilis est, ideo necessarium fuit in quibuscumque est possibile, legem determinare quod iudicandum sit, et paucissima arbitrio hominum committere.

8617 Optime etiam advertit P. Leonardus Lessius, De iustitia et iure, l. 2, c. 12: Sicut in ceteris rebus bonum commune curare ad potestatem publicam pertinet, ita etiam in negotiatione ad avertendas fraudes et pauperum expoliationes. Accedit quod superiores potestates possunt melius ceteris omnes nosse circumstantias ex quibus aestimatio rerum crescit et decrescit. Nunc vero quod iustum sit et obligatorium in conscientia, servare cuicumque pretium taxatum a legitima potestate legitime ordinante, extra dubium ponit Apostolus, Rom. 13,1: Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non enim est potestas nisi a Deo: quae autem sunt a Deo ordinatae sunt. v. 2: Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit: qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.

8618 Ad rem Augustinus, in illud Ps. 118, *161 Serm. 31, 1, t. 4, 1359 F*: A verbis tuis trepidavit cor meum. Habuerunt, inquit, principes sua verba: occido, proscribo, in exilium mitto; sed haec possunt comparari huic: Hic potest corpus et animam mittere in gehennam. Ob id a verbis tuis formidavit cor meum. Prosequitur autem concludens Apostolus, v. 5: Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. v. 6: Ideo enim et tributa praestatis, ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum servientes.

8619 Apposite iterum Augustinus, tract. 6 ad c. 1 Joannis, c. 25 et 26 t. 3/2, 3451 A et C: et refertur etiam 1 disti. 8 cap. "Quo iure": Jura autem humana per imperatores et rectores saeculi Deus distribuit humano generi... Apostolus voluit serviri omnibus regibus, voluit honorari reges, et dixit: Regem reveremini. *1 Petr. 2,17*. Noli ergo dicere: Quid mihi et regi? - Et rursus idem S. Doctor, l. 3 Conf.

8,15, t. 1,93 F sqq. et refertur eadem distinctione, cap. "Quae contra": Si... regi licet in civitate cui regnat, jubere aliquid quod neque ante ipsum quisquam, nec ipse unquam jusserat, et si non est contra societatem civitatis ejus obtemperatur ei: immo contra societatem fit si ei non obtemperetur (generale quippe pactum est societatis humanae obtemperare regibus suis) quanto magis Deo regnatori universae creaturae suae ad ea quae jusserat sine dubitatione serviendum est? Sicut enim in potestatibus societatis humanae major potestas minori ad obediendum praeponitur, ita Deus omnibus.

8620 Hoc igitur censendum est maxime justum pretium, quod a legitima potestate constitutum sit. Quod cum ab uno vel a paucis quidem in unum convenientibus iudicibus decernatur, inspecto bono communi et circumstantiis, hinc:

1. In indivisibili puncto consistit, uti etiam ex praxi constat.

2. Variatur etiam juste variantibus circumstantiis, uti bene etiam ostendit Molina, De justitia et jure, disput. 364.

3. Persistit immotum; quandoque, attentis pariter circumstantiis et bono communi, licet aliquantulum merx ascendat aut decrescat in valore intimo et naturali, quemadmodum advertit P. Daniel Concina, tom. 7 Theolog. Mor.

8621 4. Eadem circumspectione, et fine proposito, juste aliquando taxatur pretium in gratiam emptorum, ita ut venditores illud augere sine injustitia non valeant; quandoque in gratiam venditorum, ut emptores minoris emere non valeant, nisi forte venditor suo renuntiet juri; quandoque in favorem utriusque, uti fuse etiam exponit Ludovicus Lopez, De contractibus et negotiationibus, l. 1 c. 15.

5. Servanda est hujusmodi taxa quoadusque manifesta ejus non appareat injustitia: in dubio autem et ubi non sit moraliter evidens, non est privatorum ferre judicium de justitia sive injustitia legis, ut adnotant passim Doctores, cum Lessio, loco citato.

8622 6. Denique ad propositum casum: vncendere aliquando supra, aut emere infra pretium taxatum, quando nimirum merces communibus sint longe praestantiores aut deteriores, non esse per se loquendo illicitum, recte affirmant, tum ex antiquioribus, tum ex recentioribus plerique, inter quos, brevitatis gratia, unum tantum laudare (Ludovicum Habertium t. 4 tract. De justitia et jure, p. 3 De contractibus) et alterum audire praestat: P. Daniel Concina, tom. 7, ubi sic ait: Probabilior mihi opinio est, quod sicut merces vilioris et deterioris conditionis, licet ejusdem speciei, cum mercibus quarum pretium taxatum est, vendi debent non pretio taxato, sed inferiori; ita merces quae notabiliter excedunt communes in bonitate, vendi ultra pretium taxatum possint. Duo tamen sunt necessaria: primo, ut excessus perfectionis sit evidens et notabilis; secundo, ut augmentum pretii respondeat majori perfectioni mercium. Rationem etiam statim subjungit his

verbis: Taxatio opretii respicit merces quae communiter sunt ejusdem plus minusve conditionis; nec enim quilibet excessus sat est ad pretium augendum.

8623 [SINTESI DELLA SOLUZIONE]:

Justum verum pretium est quod exaequat valorem rerum, prout in ordine ad usus humanos aestimantur communiter, attentis circumstantiis: quod est pretium justum naturale, quamdam habens moralem latitudinem, secundum quod S. Thomas, 2-2, 77, 1 adnotat.

Justum etiam maxime censetur illud pretium quod a republica, attenta communi aestimatione, ad bonum commune in indivisibili taxatur, vel in favorem emptoris, aut venditoris, aut utriusque, secundum illud Rom. 13,2: Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit; nisi forte evidenter constet quod potestas eadem ab ordine divino justitiae turpiter ipsa declinet.

Itaque ad propositam quaestionem: Num liceat aliquando vendere supra, aut emere infra pretium taxatum, cum merces communibus sunt longe praestantiores, aut deteriores, respondeo per se affirmative: quia prudenter praesumitur taxa communem in mercibus respexisse valorem.

8624 [SULLA LOCAZIONE].

Vastum hodie implexumque quaestionibus maxime vero pragmaticon principium, si quis haud erudite diserteque exponi, sed summatim et veluti summis dumtaxat labiis attingi doleat, non culpa vertat obsecro, aut dicentis praesumptioni; benigne potius ignoscat necessitati et angustiis, nedum ingenii etiam temporis. In arcto positus, hoc nobis consilium fuit, ut deficeret potius elaboratae dissertationi tempus, quam diligenti inquisitioni veritatis. Perlustratis itaque juris fontibus, en quod elicuimus passim adnotando compendium, et velut in hac materia legum spiritum; quem tamen nudum tum eloquentiae vestibus, tum auctoritatum veluti corpore quodam, prout nobis in hisce nostris schedis et commentariis apparuit ut fidenter exhiberemus, sapientiae vestrae opinio satis persuasit: sapientum enim oculis nuda et simplex veritas, nedum minus placeat, fortassis etiam plus habet nescio quid tum gratiae tum venustatis.

8625 Quaestio erat proposita: Ad quid locator ad quid teneretur conductor, si forte res locata et conducta fiat inutilis conductori.

Respondeo dicendum quod inutilis dicitur quasi non utilis: utilis autem derivatur ab usu. Porro, circa usum in proposita specie locati, considerare est in primis quidem res quae ad usum accipitur: haec est materia locationis; deinde persona tum quae rem ad usum concedit, nempe locator, tum quae rem ad usum

accipit, nimirum conductor; postremo finis ad quem res utenda assumitur, et circumstantiae tum rerum tum personarum in quibus re conducta aliquis utitur.

8626 Atque hae pariter sunt causae omnes unde usus rei diversimode aut cesset aut impediatur: cessat enim usus propter defectum aut immutationem rei vel finis. Impeditur vero tum a personis ipsis contrahentibus, tum ab aliis sive personis sive rebus circumstantibus, vel in toto vel in parte.

In hisce causis omnibus praecipue attendenda est persona utriusque contrahentis, locatoris scilicet vel conductoris. Nam vel facto suo impediunt, vel impedimentum ex aliis proveniens, alterutri parti secundum justitiae vel aequitatis regulas adscribi facile potest.

8627 Quando impedimentum est ex facto locatoris, puta quia re locata expulit conductorem, si hoc justum sit, ulterius animadvertendum num facti justitia proveniat ex culpa conductoris, puta quia re conducta abutatur: et tunc locator non debet pati damnum, nec facere lucrum. Cum autem remota etiam culpa conductoris factum locatoris adhuc justum est, nimirum lege permittente, puta cum expulit domo conductorem quam ipse aut inhabitare aut reficere maluerit, uti probet necessitatem hujus facti, adhuc debet remittere pensionem pro rata temporis. Ubi vero factum appareat omnino voluntarium, tenetur conductori ad omnia damna. Quod si factum sit injustum, nec tamen ordinatum ad tale impedimentum, uti quia non est circa rem ipsam, et tenetur tantum ad remissionem mercedis, alias teneretur insuper ad totale interesse; si ad tale nempe impedimentum esset ordinatum, uti quia antequam traderet, dolo desiit rem possidere.

8628 Quando impedimentum est ex facto conductoris, puta quia noluit uti re vel persona conducta, aut negligentia sive imperitia sua, vel quacumque alia demum ratione sibi ipsi usum rei praeripuit, tunc integra pensio ab ipso debetur locatori. Impedimentum autem ex aliis causis proveniens, alterutri parti contrahentium attribui, summa justitiae vel aequitatis ratio persuadet. Sicut enim defectus rei locatae ipsi locatori, in cujus dominio adhuc manet, ita immutatio finis ipsi conductori, cujus fuit electio voluntaria, adscribi satis contruum videbitur. Unde si res pereat aut deterioretur absque ullius culpa, liberatur conductor a mercede solvenda pro toto tempore quo illa uti non potest: e contra si cesset aut immutetur locatori finis ob quem rem conduxit, adhuc obligatur ad pensionem solvendam, jure videre est in eo qui domum conduxit ad hospitandum hospitibus non advenientibus, vel equum ad iter faciendum, cessante itineris causa.

8629 Similiter autem de causis circumstantibus dicendum. Nam quoad personae circumstantis factum, si quidem ea sit inimici, et reputatur factum illius in cujus odium processit, sive locatoris sive conductoris, et ejus culpa tribuitur: adeo ut is ad damna alterius sarcienda teneatur: nemo enim alterius odio praegravandus est. Cum vero constet non esse inimici personam, adhuc considera an factum sit jus-

tum, et tunc si locator potuit providere et non providit tenetur conductori ad totum interesse: sin autem minus potuit providere, tenetur tantum ad remissionem mercedis pro rata. Quod si factum sit injustum, tenetur conductor resistere si potest; si non potest debet denunciare locatori, qui pariter si possit resistere et non resistit, tenetur ad interesse; si non possit, ad remissionem mercedis.

8630 Quantum vero ad ceteras rerum circumstantias attinet, consideratur in his praecipue casus fortuitus, qui si contingit ex parte locatoris seu rei locatae, quod idem est, ut puta si labes in agris aut grando et similia, non tenetur locator ex natura contractus nisi ad remissionem mercedis; si contingit ex parte conductoris, seu proveniat ex mora aut culpa conductoris, puta si non fecit quod diligens fecisset, vel si faciat contra conventionem, vel si contingat facto domesticorum ejus tenetur conductor solvere totam pensionem.

Et ex his responsio est ad subjectas hypotheses derivanda.

[Sintesi della soluzione]: Impedimentum usus rei locatae, quando accidit ex parte conductoris, etiam involuntarie, tenetur hic totam pensionem solvere; quando accidit ex parte rei locatae, vel locatoris absque ejus culpa, fit remissio mercedis; si culpa interveniat, ut in subjecta hypothesi, dum mala fide locavit possessionem a vero domino postea evictam, tenetur ad totale interesse. [Ex toto titulo locati].

8631 [SUL SOGGETTO DEI SACRAMENTI].

Latissime patet dati principii ratio: 12 in cujus expositione, ne vestra abuti videar benignitate, discreto quodam compendio mihi opus est, ut ea quae satis comperta communiter sunt enarrando, veluti pertransiens illic scelectis quibusdam argumentis tantisper vos detineam, ubi nonnihil fortasse difficultatis primo quasi occurru esse potest. Igitur, missis proemiis:

Ad valorem sacramenti quaedam conferunt ministri, de quibus jam actum est: quaedam suscipientes. Infantes quidem et perpetuo amentes, nulla praevia eorum dispositione, baptizat Ecclesia; baptismus autem, vitae spiritualis janua reliqua sacramenta: et baptismum ipsum in homine adulto, antecedere debet intentio, seu voluntas: quae si contraria sit vel repugnans, nullum est sacramentum, praeter Eucharistiam, quae subsistit extra usum.

8632 Neque indifferens satis satis est: sed requiritur positiva quaedam voluntas recipiendi sacramenta, uti ex S. Thoma pluribus concludit Benedictus XIV, in sua Constitutione de Baptismo Judaeorum, anni 1747, die 28 Februarii. Sufficit tamen habitualis voluntas; Sufficit tamen habitualis voluntas; ubi enim nulla praecesserit retractatio, et moraliter perdurare intentio videatur, est certe validum sacramentum, ait ibidem, de eodem baptismo loquens, laudatus Summus Pontifex. Excipienda

tamen sunt ab hac regula duo Sacramenta: matrimonium, cujus natura virtuales saltem consensum exquirat, et poenitentia, cujus materia sunt actus ipsius hominis poenitentis.

8633 Ut vero quis licite sacramenta petat vel suscipiat, quaedam ei primo consideranda sunt circa personam ministrantium. A non toleratis enim non licet accipere, nisi in extrema necessitate, baptismum, et juxta probabiliorem Doctorum opinionem, poenitentiam. S. Augustinus, libro 1 De baptismo, c. 11, 3 t. 9,81 B: Si quem, ait, forte coegerit extrema necessitas, ubi catholicum per quem baptismum recipiat non invenerit... per aliquem extra unitatem catholicam positum acceperit, quod erat in ipsa catholica veritate accepturus, non solum non improbamus quod fecit, sed etiam securissime verissimeque laudamus.

8634 Pius autem VI felicis recordationis, cum per suas litteras apostolicas diei 19 Martii anni 1793, expresse vetita ab ipso fuisset quaevis communicatio in divinis cum intrusis et refractariis, quocumque nomine appellarentur, regni Galliarum: propositae a clero gallicano quaestioni inter ceteras n. 9: Num licite fideles in articulo vel periculo mortis possent absolutionem accipere a sacerdote jurato, et a parochio intruso, die 1 Aprilis anni 1794, respondit, de consilio selectae Cardinalium congregationis: Non esse improbandam rationem quam inierunt nonnulli gallicani Praesules, qui in articulo vel periculo mortis, poenitentiae sacramentum, quod est secunda post naufragium tabula, a sacerdotibus juratis ac etiam a parochis intrusis recipi posse permiserunt, deficiente quovis alio catholico sacerdote. Nunc autem ab indignis ministris qui tolerati dicuntur, licet accipere sacramenta, si desit probus et adsit justa causa, remoto etiam periculo scandali proprii vel alieni, dummodo ii non sint haeretici vel schismatici, cum quibus vix unquam sine peccato communicatio in divinis esse potest.

8635 Praestat in re tanti momenti audire sapientissimum Pontificem Benedictum XIV, l. 6 De Synodo, c. 5, nr. 2: Quamvis per canonem Concilii Constantiensis permansit, non obstantibus contrariis subsequentibus constitutionibus Conciliorum Basilaensis et Lateranensis, nonnihil relaxata fuerit disciplina in eo quod pertinet ad conversandum, atque etiam in divinis communicandum cum haereticis qui tolerantur, et expresse denunciati non sunt tamquam vitandi, ut fuse probat Cabassut, in Theoria et praxi Juris Canonici, lib. 5, c. 11, nr. 3n et sqq. non idcirco tamen arbitrari debent catholici fas sibi esse indistincte cum haereticis, quamvis non denunciatis, in rebus sacris et divinis communicare: siquidem Paulus V post maturam rei discussionem, neutiquam licere definivit catholicis regni Angliae haereticorum templa adire, ritibusque interesse, quos quos inibi exercent, uti legere est in duobus decretis ab eodem Pontifice editis, uno scilicet anni 1606, altero anni 1607, quae referuntur a Cardinali De Lauraea, in 3 Sent. part. 2, tom. 3, disp.11, ar. 9, § 4, nr. 292.

8636 Haud equidem ignoramus non deesse theologos ab omni culpa absolventes catholicos qui cum haereticis et schismaticis nominatim non denunciatis communicant in divinis, atque etiam sacramenta ab iisdem recipiunt, dummodo hae simul concurrant rerum circumstantiae: Primo scilicet ut ad praedictam communicationem catholicos adigat gravissima et urgentissima causa; secundo, ut haeretici, aut schismatici a quibus sacramenta exposcunt sint valide ordinati, ut sacra administrent ritu catholico, absque ulla admixtione ritus damnati; tertio ut communicatio cum iisdem in divinis non sit externa protestatio falsi dogmatis, qualis erat ingressus in protestantium ecclesias, cum catholicis Angliae illum inhibuit Paulus V; ideo quippe regis edicta omnes adire jusserant haereticorum templa, ut tali pacto se cum protestantibus sentire faterentur; quarto demum, ut catholicorum cum haereticis communicatio in divinis nulli scandalum ingerat.

8637 Verum in primis praedicta theologorum sententia suos habet adversarios, neque ab omnibus admittitur, tamquam in praxi segura: deinde ea etiam admissa, cum omnes enumeratae circumstantiae simul et conjunctim adesse debeant ut catholicorum cum heterodoxis in rebus sacris societas omni vacet culpa, quemadmodum docent Sylvius in 3 p. S. Th. t. 4, q. 64, art. 6, Quaesit. 3 concl. 3; Cardinalis De Lugo, De fide, disp. 22, sect. 1, nr. 11; Thomas a Jesu, tract. De omnium gentium salute procuranda, l. 8 part. 2, § 4; Cardinalis Albitius, De Inconst. fidei, c. 18, nr. 30 et sqq; Cardinalis Gottus, in 22, D. Th. q. 4 dub. 6 § 3, nr. 2 et q. 3 De infidelibus comparate ad fideles, dub. 3, § 2, idcirco fere impossibile est usu venire ut a flagitio excusari valeant catholici, sese in rebus sacris cum haereticis vel schismaticis admiscentes. Quamobrem, sacrae Urbis Congregationes, S. Officii videlicet, et De propaganda fide, illicitam semper reputarunt communicationem de qua est sermo, doctamque concinnarunt instructionem, nobis iun minoribus tunc degentibus, qualemcumque nostram operam navantibus, ad missionarios cum opus fuerit transmittendam, ubi rationes expenduntur propter quas vix unquam accidere potest, ut in praxi sit innoxia catholicorum cum haereticis communicatio in divinis.

8638 Sed praeterea, ut quis licite sacramenta recipiat, debet esse convenienter dispositus. Ad rem nostram duas tantum hic ponere sat est assertiones inter theologos communes, quoad Eucharistiae sumptionem. Prima: Ad evitandum mortale peccatum nulla dispositio actualis requiritur ex rigoroso praecepto, praeter gratiam habituaalem. Altera: Ad evitandum veniale, illa requiritur dispositio quam natura actus sacri ac religiosi requirit ab homine fragili et corruptae naturae. Itaque quaestio est: Num peccet quis communicans cum actuali veniali. Affirmaticam sententiam sequi nos cogit auctoritas Augustini, seu potius Genadii in c. Quotiescumque De Consecratione d. 2: Si adhuc habet voluntatem peccandi, grvari magis dico Eucharistiae perceptione quam purificari; et ideo, quamvis quis peccato mordeatur,

peccandi tamen de cetero non habeat voluntatem, et communiturus satisfaciat lacrymis et orationibus:... sed hoc de illo dico quem mortalia peccata non gravant.

8639 Ad quorum evidentiam, considerandum est quod peccatum actuale uno modo communiter dicitur, quod quilibet homo actu committit propriae voluntatis, ad distinctione illius quod actu non propriae, sed protoparentis voluntatis commissum, habetur in homine ab origine sua, juxta illud: Natura filii irae, *Eph. 2,3*. Cujus formale destruitur quidem a baptismo, sed remanet materiale et adhuc habetur post justificationem in nobis, juxta illud: Habitat in me peccatum, *Rom. 7,17 et 20*; unde dicitur habituale seu originale. Rursus peccatum actuale considerari potest vel ut jam commissum et praeteritum, vel in illoipso momento dum committitur et praesens est.

8640 De peccato autem praeterito, etsi ejus actus non amplius existat, remanet tamen et habetur in nobis reatus culpae et poenae, donec per poenitentiam deleatur; remanet insuper quaedam inclinatio, seu dispositio ad similem sui actum, unde habitus seu habitudo generatur aut firmatur in nobis; et propterea dicitur etiam habituale, ut illud distinguamus ab illo peccato ejus actus nunc existit et in praesenti tempore actualiter committitur; quod proinde stricto quodam sensu alio modo dicitur actuale, de quo hic est sermo. Manifestum est autem quod actus venialiter malus inficit actum communicandi, cui ita conjungitur ut si aliquo modo ejus circumstantia. Nam bonum ex integra causa, malum autem ex quocumque defectu. Tunc enim huic actui in se bono, nmpe communicandi, deficeret vel finis rectus, puta si communicat quis propter vanamgloriam, quod omnes veniale esse fatentur; vel debitus modus deficeret, puta si voluntarie se distrahat, vel cogitet aut delectetur de re aliqua venialiter mala, aut simile quidpiam agat: quod pariter veniale esse peccatum probabilior tenet doctorum sententia. Quod erat demonstrandum.

8641 [Sintesi della soluzione].

Ut valida sint sacramenta in adultis, sicut baptismus ad cetera, ita ad omnia praeexigitur voluntas illa recipiendi.

Non licet vero ea suscipere ad indignis ministris non toleratis, nisi in extrema necessitate baptismum ert poenitentiam: neque a toleratis, si adsit bonus et desit justa causa, vel sit periculum scandali proprii vel alieni, aut ii sint haeretici vel schismatici, cum quibus vix unquam sine flagitio communicatio esse potest in divinis, ex Benedicto XIV De Synodo, l. 6.

Insuper ut quis licite suscipiat, debet esse convenienter dispositus; hinc venialiter peccat qui Eucharistiam sumit cum actuali culpa veniali, quae sit aliquo modo circumstantia ipsius actus communicandi, ex c. Quotiescumque, etc. consecratione.

8642

[SUL BATTESIMO].

Jure divino impositum est hominibus praeceptum suscipiendi baptismi aquae. Dicitur enim Jo. 3,5: Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei. Unde ratiocinatur S. Thomas 3,68,1: Ad illud homines tenentur sine quo salutem consequi non possunt; manifestum est autem quod nullus potest salutem consequi nisi per Christum: unde et Apostolus dicit, Rom. 5,18: Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic et per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitae. Ad hoc autem datur baptismus ut aliquis per ipsum regeneratus incorporetur Christo, factus membrum ipsius. Unde dicitur Galat. 5, Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis. Unde manifestum est quod omnes ad baptismum tenentur, et sine eo non potest esse salus hominibus.

8643 Hinc patet baptismi praeceptum omnibus hominibus positum esse, ideoque quantum est ex se, omnes obligare qui sunt capaces praecepti. Regnum enim Christi et Ecclesia ejus, futura erat catholica, seu universalis: et ideo sicut omnibus hominibus praecipitur fides Christi et conjunctio cum Ecclesia, extra quam non est salus, ita et omnibus praecipitur professio fidei christianae, quae fit in baptismo.

Parvuli autem ante usum rationis, cum sint incapaces praecepti, per se et directe non obligantur hoc praecepto; sed instante necessitate, nempe periculo mortis, parentes eorum tenentur saltem ex lege caritatis, misericordiae et pietatis, ad eos baptizandos, imo etiam juxta Suarez, ex vi legis baptismi, cujus materia communis est infantibus sicut adultis, ideoque infantes illi obligantur indirecte, seu per voluntatem paternam.

8644 Extra necessitatem vero, jure divino non obligantur parentes ad baptizandos filios tempore infantiae: et idem est de tota Ecclesia, respectu suorum membrorum, quia hoc non continetur in substantia ipsius praecepti. Sed ex consuetudine Ecclesiae, et praecepto ejus, recte possunt parentes christiani obligari, sicut reipsa obligantur, ad baptizandos infantes suos ante adultam aetatem, quia res est justa et bono communi satis expediens, et ipsi sunt subditi jurisdictioni Ecclesiae. Imo, ex eadem Ecclesiae consuetudine, non potest a parentibus diu differri baptismus parvulis suis post eorum nativitatem. Ex decretis autem nostrae veronensis ecclesiae, quae extant tum in Constitutionibus, tum in Rituali, non potest differri ultra primum diem ab eorum nativitate.

8645 Quantum vero ad homines adultos, qui in se ipsis directe obligantur praecepto divino, dicimus illos ex hoc praecepto obligari ut, moraliter loquendo, quam primum digne et commode possint, baptismum recipiant, vel saltem ut non multo tempore hoc differant. S. Gregorius Nazianzenus, Oratione 40 in S. Baptismum c.

12 t. 1,571 B, sqq. acriter insequitur eos qui baptismum ad senium differebant. Ne beneficium, inquit tamquam injuriam differamus, nec expectemus ut plura peccata congeramus, quo plura nobis condonentur. Nec Christo cauponum et negotiatorum ritu abutamur, nec graviori sarcina oneremur quam vires nostrae ferre queant, ne una cum navi demergamur, ac gratiam naufragio amittamus, dumque plura spe atque animo concipimus, omnia perdamus. Quamdiu mentis adhuc compos es, ad donum accurre; quamdiu nondum et corpore et animo aeger es etc. Absurdum enim fuerit, cum pecunias avide praeripias, sanitatem in longius differre atque extrahere; cum corpus praepurges, animae purgationem in aliud tempus reservare; cum ex hac terrena servitute in libertatem vindicari studeas, supernae libertatis cupiditate minime tangi, *ibi*, 572 D.

8646 S. Basilius, Hom. 13 *in sanctum Baptisma*, 1 t. 2,114 C, de diversis eos qui differunt baptizari acriter perstringit: Tu qui a puero fidei rudimentis imbutus es, nondum assensisti veritati? Tu qui semper ediscis, nondum pervenisti ad cognitionem? Per omnem vitam experimentum capis, ad senectutem usque exploras: quando tandem fies christianus? S. Joannes Chrysostomus, in Epist. ad Hebraeos, Homilia 13, t. 12,134/1 A, relatus a Gratiano, c. "Quando" d. 4: Quando quis propterea peccat ut sanctum baptisma in novissima sua expiratione suscipiat, fortassis non adipiscitur; et credite mihi: non terrens dico quod dicturus sum. Multos novi qui hoc passi sunt, qui spe baptismatis multa peccabant; circa diem autem mortis discesserunt vacui. Deus enim propter hoc baptisma tribuit ut solvat peccata, non ut addat; si vero quis ad hoc utitur baptismo ut ampliora delinquat, ipsum ferit negligentiae causa.

8647 Quamvis autem hoc divinum praeceptum interpretandi jus habeat Ecclesia, non tamen specialem determinationem adhibere divino praecepto baptismi potest Ecclesia per novum praeceptum, quo directe adulti non baptizati, vel baptizatorum filii obligentur. Prima enim [ad] Corinthios, 5,12 sq. ait Apostolus: Quid enim mihi de iis qui foris sunt judicare? Nonne de iis qui intus sunt vos judicatis? Nam, eos qui foris sunt, Deus judicabit. Ex quo patet Ecclesiam non habere jurisdictionem in eos qui non sunt membra Ecclesiae visibilis. Unde Concilium Tridentinum, Sess. 14,4: Ecclesia in neminem judicium exercet qui non prius in ipsam per baptismi januam fuerit ingressus.

8648 Unde patet solutio praepositae quaestionis. Baptismus parvulorum non ultra decimum diem, ex Rituali veronensi, neque adultorum diutius differendum, quam moraliter possint cum debitis dispositionibus; ex praecepto divino Christi et naturali. Supposito igitur quod Sempronius moraliter potuerit ante senium cuim debitis conditionibus baptizari, reus est violati juris divini, non humani ecclesiastici, cui adhuc sine baptismo existens non obligabatur.

8649 Equidem in Ecclesiae historia exempla non desunt nonnullorum qui,

etiam a christianis parentibus orti et christianae fidei dogmatibus imbuti, baptismum usque ad provectam aetatem suscipere distulerunt. Ita narratur de Constantino Magno imperatore, qui quamvis ante annum aerae vulgaris 312 religionis nostrae veritatem agnovisset, tamen baptismo regeneratus non est ante annum 324 in urbe Roma; vel si Eusebio deferendum sit, Nicomediae dumtaxat, anno 337 baptizatus fuit. Illius exemplum secutus est Constantius filius, qui paulo ante mortem, hoc est anno 361, Antiochiae baptismum suscepit. Theodosius similiter, cum gravi morbo Thessalonicae correptus fuisset, baptismum sibi ministrari petiit et obtinuit, sed postea convaluit. De S. Ambrosio, mediolanensi Episcopo et Ecclesiae doctore, narrat Paulinus notarius baptismum tunc ei collatum fuisse, cum ad sacram ordinationem jam jam evehendus esset; nec quisquam ignorat s. Augustinum anno aetatis suae trigesimo tertio baptizatum fuisse.

8650 Verum ex peculiaribus factis hujusmodi nec exemplum, nec norma desumi debet, ait Benedictus XIV, libro 12 De Synodo, c. 6, quamvis reprehendendi generaliter non sint, ubi agatur de probis viris aut sanctitate illustribus, qui baptismi susceptionem usque ad provectam aetatem justis de causis differendum sibi esse judicaverint. Porro Ecclesiae legibus, inter irregulares et nunquam ad sacram ordinationem admittendos, recensiti illi erant qui baptismum cum possent tempestive suscipere, neglexerant, sed in infirmitate constituti et in lectulo decumbentes, mortis metu ad eum suscipiendum adducti fuerant.

8651

[SUI PADRINI]

Praeter eos ministros qui baptismi sacramentum conficiunt, aliud etiam ministrorum genus, ex vetustissima catholicae Ecclesiae consuetudine adhiberi solet; ii autem patrini, olim susceptores, sponsores, seu fidejussores, communi vocabulo a rerum divinarum scriptoribus vocabantur, ut docet Catechismus Concilii Tridentini, De Baptismo, *nr. 175*.

Horum institutionem, recte notat Martene, l. 1 De antiquis Ecclesiae ritibus, c. 1, art. 16, nr. 10, ad ipsa fere Ecclesiae incunabula referendam esse, utpote cujus meminere Tertullianus, liber De Baptismo, c. 18, pag. 156/2 - liber De ecclesiastica hierachia, qui saeculo V sub nomine S. Dionysii Areopagitae prodiit - S. Justinus, q. 56 ad Gentes - S. Basilius, epist. 128 et Sanctus Augustinus multis in locis, ut alios interim plures omittam. Sanctus vero Thomas 3, Estius, d. 6, § 3, Sylvius, aliique, censent patrilinos adhiberi ex traditione apostolica; quibus subscribit P. Berti, de Th. Disciplina, l. 31 c. ultimo, eo fundamento nixus, quia haec consuetudo est ubique recepta, vetustissima, nec illius adingvenitur post tempora apostolorum institutio: quod apostolicae traditionis argumentum est.

8652 Horum instituendorum causa praesertim fuit ut pro puero fidem profiteantur ac ejus nomine promittant illum fideliter observaturum quod promittit. Vos ante omnia, inquit S. Augustinus, relatus in can. 104 de cons. d. 4, tam mulieres quam viros qui filios in baptismo suscepistis, moneo, ut vos cognoscatis fidejussores apud Deum extitisse pro illis quos visi estis de sacro fonte suscipere: ideoque semper admonere ut castitatem custodiant, justitiam diligant, caritatem teneant. Rationem etiam ejus rei affert Sanctus Thomas, 3,60,5 quam excipit memoratus catechismus, loco citato, his verbis: Quod quidem optimo jure factum esse omnibus videbitur, si meminerint baptismum esse spiritualem regenerationem, per quam filii Dei nascimur; de ea enim ita loquitur Divus Petrus, *1 Petr. 2,2*: Sicut modo geniti infantes, rationabile sine dolo lac concupiscite.

8653 Ut igitur postquam aliquis in hanc lucem editus est, nutrice et paedagogo indiget, quorum opem educetur, ac doctrina et bonis artibus erudiatur, ita etiam necesse est ut qui ex baptismi fonte vitam spiritualem vivere incipiunt, alicujus fidei et prudentiae committantur, a quo Christianae religionis praecepta haurire, ad omnemque pietatis rationem institui possint, atque ita paulatim in Christo adolescere, donec tandem viri perfecti, juvante Domino, evadant; cum praesertim pastoribus qui publice parochiarum curationi praepositi sunt, tantum temporis non supersit, ut privatam illam curam pueros in fide erudiendi suscipere possint.

8654 De conditionibus autem, seu qualitatibus horum susceptorum, habetur iun Rituali Romano, tit. De Baptismo, § 24: Parochus antequam a baptizandum accedat, ab iis ad quos spectat exquirat diligenter quem, vel quos susceptores, seu paternos elegerint, qui infantem de sacro fonte suscipiant, ne plures quam liceat, aut indignos, aut ineptos admittat. Patrinus unus tantum, sive vir sive mulier, vel ad summum unus et una admittantur, ex decreto Concilii Tridentini; sed simul non admittantur duo viri aut duae mulieres, neque baptizandi pater aut mater.

8655 Hic nonnulla adnotare juvat. Primo: Vetus quidem fuit disciplina ut nec viri feminas, nec feminae viros lavarent, ut liquet ex can. 22 inter Nicaenos Arabicos, t. 2 Conc. pg. 298, atque ex C. 3 Constitutionum Apostolicarum, pag. 288, ubi permulta adnotavit Cotelerius; verum, ait P. Berti, spectabat id antiquam consuetudinem denudationis. Secundo: Olim parentes proles suas, praecipue parvulas, obtulisse ex pluribus monumentis probatur, quae conguessit Josephus Voicciomes, l. 1 De antiquis Baptismi ritibus, c. 33, ubi etiam recte observat consuetudinem ipsam nunc penitus esse abrogatam; hoc autem officium parentibus interdictum fuit, non postquam cognatio spiritualis et ex eo resultans impedimentum inductum fuit, ut putavit Van Espen, p. 2 J. eccl. c. 4, nr. 18, cum dubitari nequeat hoc impedimentum saeculo VI in usu fuisse, utpote cujus meminit

Justinianus, l. 26 Cod. De nuptiis; sed ob eam forte rationem quam tradit Estius, l. 4 Sent. d. 6 § 3, tum ut cogantur homines amicitiam ad alios propagare, tum quia

melius providetur puero, dum praeter parentem carnalem qui jure naturae tenetur ejus salutem procurare, datur insuper parens spiritualis, cujus id proprium munus fiat ex sponsione.

8656 Hos autem patrilinos, prosequitur Rituale, saltem in aetate pubertatis, ac sacramento Confirmationis consignatos esse, maxime convenit. Antiqua est et illa Ecclesiae disciplina, ut in baptismo vel in chrismate, non possit alium suscipere in filiolum qui non est ipse baptizatus vel confirmatus, ut loquitur can. 101 de consecratione, d. 4. Posset et haec disciplina variis conciliis confirmari, quibus non modo praecipitur ut patrini sint confirmati, verum etiam ut pubertatem excesserint, cujus etiam rei rationem reddit S. Antoninus, 3 parte, tit. 4 c. 3: nam debilis non est idoneus ad sustentandum debilem, ne ambo simul cadant. Unde manifeste errat Barbosa, auctoresque ab illo citati, p. 2 De officio Par. c. 18, nr. 28, ubi ajunt quod pueri cujuscumque aetatis possunt esse susceptores legitimi, modo habeant usum rationis.

8657 Sciant praeterea Parochi, semper idem Rituale, ad hoc munus non esse admittendos infideles, non haereticos, non publice excommunicatos aut interdictos, non publice criminosos aut infames: nec praeterea qui sana mente non sunt, nec qui ignorant rudimenta fidei; haec enim patrini spirituales filios suos, quos de baptismi fonte susceperint, ubi opus fuerit opportune docere tenentur.

Haeretici in primis, ait Catechismus laudatus, *nr. 176 in fine*, Judaei, infideles, ab hoc munere omnino prohibendi sunt, ut qui in ea cogitatione et cura semper versentur, ut fidei veritatem mendaciis obscurant, atque omnem christianam pietatem evertant.

8658 Sed non modo haeretici ex quibusdam conciliis, verum etiam de haeresi suspecti ab officio susceptoris arcendi sunt. "Quod ut vitare queat, inquit Concilium Remense, anno 1583, rogabit sacerdos clara voce omnes qui puerum baptizandum ad ecclesiam comitati sunt, vel saltem patrinum et matrinam, numquid velint vivere et mori in Ecclesia catholica, apostolica et romana; abnuentesque ab officio suscipiendi repellat.

Quantum ad excommunicatos, criminosos, aut infames, in Capitularibus regum Francorum, l. 6 cap. 179, removentur a patrinorum munere etiam ii qui et communione canonica privati, et publicae poenitentiae plectendi et ligandi sunt.

8659 S. Carolus, in Instructione de Baptismi administratione, monet parochum et praecipit neque eos qui in Pascha communionem non sumpserint, ad infantem de baptismo suscipiendum adhiberi sinat. Giberti, in suis Constitutionibus, titulo 5 ait mandamus quod, excepta necessitatis causa etc. non admittatur, qui justo cessante impedimento non sit confessus eo anno et sacram non sumpserit Eucharistiam; quum non conveniat tales sacramentorum confectioni interesse, quos sancta mater Ecclesia a divinis arcet. Rituale Veronense, pag. 12:... Illi qui eo anno Paschae

tempore, justo cessante impedimento, non fuerint confessi, et Sanctam Eucharistiam non perceperint, ne admittantur.

8660 Cautum quoque et illud a quibusdam Conciliis fuit, ne ad patrinorum munus admitterentur de quibus certa possit esse suspicio, eos munus illud suscipere ut securius et liberius cum matrinis versentur; atque hunc veterem recentemque abusum evellere conata est etiam Synodus VI provincialis Beneventana tit. 4 c. 5, ubi Hugo II Guidardius archiepiscopus Beneventanus, praedecessorum etiam Constitutiones confirmans, sub excommunicationis poena statuit ne clericus laicusque fraudulentas impurasque compaternitates contrahat. Praeterea, concludit Rituale Romanum, ad hoc etiam admitti non debent monachi vel sanctimoniales, neque alii cujusvis ordines regulares, a saeculo segregati. Hoc decretum legitur in Concilio Antyssiodorensi anni 578 c. Non licet, de consecratione d. 4 nr. 103

8661 Advertendum vero hic est, cum Baruffaldo, Comm. in Rituale, tit. de Patrinis, 8, quod saeculares etiam clerici possunt impediri ab Ordinariis vigore constitutionis synodalia, ne patrini officio fungantur, uti de facto impediuntur a nostris Constitutionibus, in quibus tit. 5 c. 18 Matthaeus Giberti laudatus, sic ait: Item statuimus et prohibemus quod nullus praelatus, rector, vel clericus saecularis vel regularis, cujuscumque ecclesiae, fiat compater alicujus absque nostra speciali licentia.

Ex dictis hucusque constat praeclare, ait Catalanus in Rituale, peccare absque dubio parochos, si eos ad suscipiendos de baptismo infantes admittant, quos nostrum Rituale Romanum et propriarum ecclesiarum statuta ab eo numero excludunt.

8662 Nunc vero, ut pauca de Confirmatione adjungamus, adhibendos ibi quoque susceptores, constat ex perantiqua Ecclesiae praxi, comprobata, ut egregie advertit et Suarez, ex cap. in catechismo quod tribuunt Hygino, protulitque saec. 7; Theodorus in Poenitentiali nr. 4; item ex cap. "Non plures" deprompto ex Halafrido Strabone et ex cap. "In baptisate vel in Chrismate"; sive ex Theod.o; sive ex Concilio Moguntino; quae omnia collegit Gratianus, de Consecrat. d. 4. De Sacramento Confirmationis, disp. 35 art. 10 et p. Berti de Theol. disciplina, l. 32 c. 10. De his etiam mentionem facit Sacramentarium S. Gregorii Magni; Nicolaus I in Epistola ad Rodolphum Bituricensem; Concilia Cabillonense sub Carolo Magno; Parisiense, Tridentinum Sess. 24, 2 De reformatione; Mediolanense V sub S. Carolo.

8663 Sanctus Thomas, 3, q. 72 art. 10, hujus, ritus hanc profert rationem: quod illi qui seliguntur ad pugnam, debent instrui a veteranis, et diuturno usu in re militare exercitatis, quemadmodum recens nati capessere debent vitae rudimenta. Ac sunt qui cum Ludolpho Carth. p. 1 vit. Christi, cap. 24, repetunt compatrum origi-

nem ab Apostolis, quorum senior Andreas Petrum fratrem suum adduxit ad Dominum.

8664 Quantum ad conditiones et qualitates patrinatorum, eadem fere dicenda quae in baptismo: pauca tantum addenda. Primo: Nemo teneri potest a patre vel matre, vel vitrico, vel noverca; quod statutum fuit in concilio Lodinensi sub Innocentio II anno 1200 can. 3, et aliis Conciliis et decretis; quorum ratio petitur ex cognatione spirituali quae contrahitur "confirmantem inter et confirmatum, illiusque patrem et matrem, ac tenentem; sed hos non egreditur limites, ex Concilio Tridentino, 24 de Reformatione, matrimonii, c. 2.

8665 Ob eandem rationem, ne scilicet multiplicentur matrimonia, praescribit Pontificale Romanum ut nullus teneat nisi unum aut duos, non plures, nisi aliter suadeat necessitas, quod etiam habetur c. "Non plures" de consecrat. d. 4 nr. 101 in Synodo Burdigalensi, anno 1583 aliisque ecclesiasticis definitionibus. Deinde nec mares feminis compatres, neque feminae viris, neque senioribus juniores esse debent, cum id minime deceat, ut praemonuit idem Pontificale Romanum, statuitque anno 1585 Synodus Aquensis.

8666 Hinc ad propositam quaestionem respondendum est, quod per se et absolute redarguendus est Sempronius, qui admittit ad patrini munus eos quos certi scit paschalia sacramenta contemnere, si publice contempnant, vel privatim proponantur; vel diligentiam debitam ipse omisit ne publice proponantur. Dixi "per se et absolute", nimirum abstrahendo ab aliquibus sane extraordinariis circumstantiis, in quibus ipsi haeretici an admittendi sint vel repellendi non consentiunt theologi, ut videre est apud Topurnely, Layman; Concina, Beato ligorio et Patuzzi.

8667 Verum in his difficillimis circumstantiis, satius videtur pro praxi sequi consilium quod ibidem proponit idem Patutius, tr. 10 De Sacramentis c. 14 cons. 5 his verbis: Quamobrem censerem a catholico paroco sacramentum administrante, nihil circa hoc agendum inconsulto Episcopo, qui re bene perpensa expendat num ad majora vitanda mala hoc inconveniens sit saltem per breve aliquod tempus tolerandum. Si autem perseverent circumstantiae et casus fiant frequentes etiam ad magistram omnium Ecclesiarum Romanam Sedem, et ad omnium christianorum doctorem Petri successorem referatur difficilis quaestio et periculi plena, ut mos semper fuit in Ecclesia catholica, et nuper Gallicani praesules exemplum tradiderunt satis luculentum, qui idcirco unitatem illius Ecclesiae in summo discrimine servaverunt, et ipsi in agone gloriosissimo confirmati sunt; quod nim aedificatur super petram illam super quam Christus suam fundavit Ecclesiam, numquam corruet.

8668 [SINTESI DELLA SOLUZIONE]:

Jure ecclesiastico in Baptismo et Confirmatione susceptores adhibendi sunt, cum his conditionibus, seu qualitatibus, quas Pontificalia et Ritualia tum Romanae, tum particularis cujusque ecclesiae praescribunt.

Cum igitur Romanum praecipiat parochus ut diligenter exquirat ne indigni ad hoc munus suscipiendi aut inepti, speciatim vero publici criminosi proponantur: et Veronense excludat illos qui eo anno in Paschate sacramenta non sumpserint: hinc Sempronius qui eos admittit quos certo scit paschalia sacramenta contemnere, si publice contemnant, vel privatim proponantur, vel diligentiam omisit ne publice proponantur, redarguendus est per se et absolute; nimirum abstrahendo a peculiaribus quibusdam circumstantiis, in quibus pro rei periculo et difficultate non adhuc satis inter theologos expedita, prudenter censuit egregius noster e Praedicatorum ordine theologus Patuzzi, tract. 10 de Sacramentis, c. 14 cons. 5, nihil parochus agendum esse inconsulto Episcopo.

8669

[SULLA S. COMUNIONE]

Ab eucharistica mensa arcendi sunt qui illa indigni aestimantur; unde Apostolus ait: Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat et de calice bibat: qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini, *1 Cor. 11,28 sq.*

Praecipuus Eucharistiae effectus in anima, ex ipsa sui institutione, est augmentum gratiae habitualis, ut magis ac magis hominem cum Christo uniat, ac per ipsum vivat, juxta illud Joannis *6,58*: Qui manducat me, vivet propter me.

8670 Alter autem [effectus] est gratia actualis, qua excitatur animi devotio et caritatis fervor, cum speciali spiritus suavitate et dulcedine. *Gen. 49,20*: Pinguis est panis ejus, et praebebit delicias regibus.

Effectus autem omnis sacramenti conjunctus est cum dispositione suscipientis, qui est quodammodo causa ejus, in genere causae materialis; cumque augeri gratia non possit quae prius non existit, hinc ad praecipuum effectum consequendum hujus sacramenti necessaria est dispositio gratiae habitualis: hoc est peccatum mortale impedit communionem ex necessitate.

8671 Mortale impedit absolute et ex necessitate [quia] reddit hominem indispositum, tamquam materiam ad suscipiendam formam, [scilicet] augmentum gratiae; [sive] praecipuum et essentialem effectum.

Veniale et foeditas corporalis [indispositum reddit] solum ex congruentia; [quia] non reddit materiam indispositam in sua substantia ad recipiendam formam, sed quoad modum recipiendi: impediens actum suum, vel effectum secundum, [et] facit ut actus sacer non fiat eo modo quo fieri debet: scilicet cum attentione et ho-

nore. Veniale autem peccatum, quia non opponitur habitui, sed tantum actui caritatis, hinc non videtur impedire augmentum habitualis gratiae, seu caritatis, sed tantum actualem gratiam sacramenti et fervorem caritatis. Item haec actualis gratia...

8672 [RIFACIMENTO]

Secundum S. Thomam homo imperitur a communione dupliciter: ex necessitate et ex congruentia. Ex necessitate autem impedit solum peccatum mortale; cetera ergo quae impedire possunt, impediunt ex congruentia, sicuti sunt peccatum veniale, evagatio mentis. Illud autem dicitur impedire ex necessitate, per quod privatur homo necessaria dispositione ad finem sacramenti, seu praecipuum effectum Eucharistiae, qui est augmentum gratiae habitualis per unionem ad Christum. Quia tamen congruit ut sacramentum ne dum sit efficax sacramentum quoad praecipuum effectum, sed etiam quoad secundarium, qui est actualis gratia, et insuper quod homo illud reverenter recipiat, hinc veniale actu exercitum, seu evagatio mentis, insuper foeditas corporalis, impdire dicitur ex congruentia.

8673 [ALTRO RIFACIMENTO].

S. Tommaso insegna che in due modi può l'uomo essere impedito dalla S. Comunione: il primo per necessità, il secondo per congruità. Di necessità impedisce il solo peccato mortale, il quale priva della disposizione necessaria all'effetto principale, ovvero fine, del Sacramento; di congruità, tutto quello che, fuor del peccato mortale, toglie l'attenzione o devozione dell'animo e la riverenza anche esteriore debita al sacramento. Lo stesso santo dottore pure insegna che questo impedimento vien tolto dalla necessità o di celebrare, in che altri sia, secondo che insegnò pur S. Gregorio etc.

8674 Ora la distrazione dell'animo occupato in cose inutili, può avvenire e per colpa e senza colpa. Avviene senza colpa, quando naturalmente l'uomo, e contra sua voglia, anzi spesso con suo dolore, è distratto; e allora è privato di alcuno effetto della Eucaristia, [exempli gratia] della rifezione della spirituale dolcezza, particolarmente in quanto ridonda ella anche ne' sensi. In questo caso l'uomo non de' essere allontanato, se non fosse consigliato ad apparecchiare l'animo suo per riverenza al Sacramento: onde a questi tali poteva dire S. Bonaventura: Ubi non instat necessitas, consulendum est talibus ut de comunione expectent, quousque parati et devoti, et circumspecti possint accedere.

8675 Per li 12 primi secoli, fu data la comunione a' bambini. Infantibus unam vini speciem concessam apparet ex illustri miraculo puellae, quae contaminata: ex Cypriano, libro De lapsis, pag. novae editionis 381, B. Administratum puerulis sacramentum sanguinis, digito sacerdotis inctincto, constat ex Hugone Victorino, t. 1 De Sacram. 20, et ex antiquis Pontificalibus, laudatis a Martenio, l. 1 c. 1 etc. -

In aliquibus locis, postquam fideles communicassent, dabantur reliquiae pueris innocentibus, propter quam consuetudinem factum est insigne illud miraculum, sub imperatore Justianiano et Menna patriarcha, in persona pueri cujusdam, figlio d'un vetraio ebreo, quem pater in fornacem injecit, iratus quod reliquias Eucharistiae comedisset: quod miraculum refert Evagrius, l. 4 Hist. eccl. c. 35, et tanta percrebuit fama, ut etiam illud S. Gregorius Turonensis resciverit, et retulerit in libro De gloria martyrum. Nicephoras referens eandem historia, addit se ipsum, cum puer esset, comedisse saepius reliquias Eucharistiae.

8676 Consuetudinem fere similem in Galliis fuisse eruitur ex sexto canone II Concilii Macon. [Anni] 589, quo jubetur ut feria sexta et quarta vocentur pueri innocentes et, jejunio eis imposito, reliquiae sacrificii dentur, vino intinctae. Illa vero consuetudo prudens fuit eo tempore, quod aperte declarat Concilium Tridentinum, dicens illos sanctissimos Patres, pro sui temporis ratione, probabilem sui facti rationem habuisse, sine controversia credendum est. Non esset autem honesta nec probabilis ratio dandi sacramentum infantibus, nisi formaliter et spiritua-liter essent capaces illius, et fructus ejus. Dionisyus vulgo Areopagita, c. 7, p. 3, sub finem: Illud vero quod pueri quoque, qui nondum possunt intelligere divina sacri baptismatis, altissimorum qui communionis sacramentorum participes fiant, videtur quidem profanis irridendum... Tradit autem puero sancta mysteria Pontifex, ut nutriatur in ipsis, neque vitam aliam habent, nisi hanc quae divina inspicit semper, et quae hujusmodi sancta communione proficiat.

8677 Non videtur ergo dubium quin existimaverint Eucharistiam dare gratiam infantibus, et ideo illam dedisse. Graeci, Syri et Cophti, priorem adhuc retinent disciplinam, ob quam immerito a plerisque Orientales redargui, observat Dominicanus auctor de re Sacramentaria, t. 1 p. 436.

Non enim reprehendendum est quod per plura saecula universaliter obtinuit, et quod Romana Ecclesia in aliis patitur. Cur apud nos abolita fuerit pristina consuetudo, (Buti, De theolog. disciplina, t. 3 l. 33 c. 16) [apparet ex eo] primo quod pueruli non percipiant quod sumunt, et carent devotione; ac in re minime ad salutem necessaria, praeponderare debet decencia tanti sacramenti, augmento illi gratiae, cujus defectu parvuli nullum patiuntur spirituale detrimentum; secundo quod infantes nequeant speciem panis digerere, speciem autem vini facile vomendo ejicerent; tertio, ut recentiori Ecclesiae usu, reprobetur eorum sententia qui censent pueros baptismate regeneratos non posse absque Eucharistia salvari, eamque sententiam adscribunt Patribus.

8678 L'antica consuetudine non era imprudente, perché il Concilio di Trento, etc. e non è anche indecente questa consuetudine ne' Greci Cofiti etc. benché appo noi per giuste ragioni...

[Riassunto]. Dalla grazia abituale in fuori, niun'altra attuale disposizione è

necessaria al fine del Sacramento. Infatti è chiaro che l'antica Chiesa per dodici secoli distribuì l'Eucaristia a' bambini e fanciulli privi dell'uso della ragione, come apparisce dal fatto che racconta S. Ciripriano di una fanciullina contaminata da' cibi offerti all'Idolo, nel libro *De lapsis* Ugone di S. Vittore, t. 1 *De Sacramentis*, e gli antichi Pontificali lodati dal Martene, l. 2 c. 1, fanno fede che s'amministrava l'Eucaristia a' bambini, dal sacerdote intinto il dito nel sangue. In alcuni luoghi dopo la Comunione del popolo, si distribuivano le reliquie a' fanciulli innocenti, come consta etc. Non si può dire che questo costume fosse imprudente.

[La brutta copia contiene anche altri brani che si sono omessi, perché corrispondenti al testo definitivo].

8679 A perceptione Eucharistiae impediri potest homo dupliciter, juxta id quod docet S. Thomas, 3,80,7: ex necessitate, quando privatur necessaria dispositione ad finem seu praecipuum sacramenti effectum, qui est augmentum gratiae habitualis: et hoc modo impedit solum peccatum mortale. Quoniam vero congruum omnino est ut tantum sacramentum nedum efficax sit, quantum ad praecipuum effectum, sed etiam quantum ad alios, qui comprehendi solent sub nomine gratiae actualis vel sacramentalis, congruum insuper est ut debita reverentia et honore suscipiatur ab hominibus: hinc cetera omnia quae obicem ponunt huic gratiae actuali, vel aliquo modo imminuere censentur hunc honorem et reverentiam, sive cum levi peccato ea sint, sive prorsus etiam absque peccato, dicuntur impedire ex congruitate.

8680 Hoc autem impedimentum propter necessitatem aliquam, seu justam et rationabilem causam postponi debere docet idem S. Doctor, auctoritate Divi Gregorii. Hoc posito principio, subjectae praesenti disputationi quaestiones omnes facile enodantur. Cum enim evagatio mentis et impuritas carnis conjunctae fuerint cum peccato mortali, impediunt ex necessitate hujus sacramenti perceptionem, sicut contingit in eo qui distrahitur ex contemptu, vel cum scandalo, aut suo corpore abutitur per fornicationem sive aliud hujus generis scelus. Quod si distractio eset involuntaria aut cum levi culpa, vel impuritas esset in corpore, sed absque culpa, aut veniali tantum in animo, sicut qui in legitimo usu voluptatis nihil omnino aut leviter tantum excesserit, vel passus sit pollutionem in somno, cujus causa sit absque peccato, aut ex levi tantum negligentia, tunc non impediretur homo nisi ex quadam congruentia.

8681 Verum in proposito nobis casu, cum videantur nonnulli theologi eam sententiam amplexos fuisse, quae attentionem animi seu devotionem necessariam existiment, ad praecipuum Eucharistiae effectum consequendum, unde consequeretur impediri hominem ex necessitate ab Eucharistia percipienda, propter

distractionem etiam se junctam a culpa mortali, hinc operae pretium est paulo fusius praedictam Angelici Doctoris sententiam exponere et confirmare, quae statuit solum peccatum mortale ex necessitate communionem impedire, seu quod idem est, nullam praeter habitualement gratiam actualem dispositionem necessariam esse ad consequendum in Eucharistia gratiae augmentum.

8682 Itaque constat per duodecim saecula in Ecclesia consuetudinem fuisse tradendi infantibus puerisque ante rationis usum Eucharistiae sacramentum. Hujus meminit S. Cyprianus libro de Lapsis, *pag. 381 B*, referens illustre miraculum illius puellae, quae contaminata erat ex idololytis. Administratum puerulis sacramentum sub specie vini, digito sacerdotis intincto, apparet etiam ex Hugone Victorino, t. 1 De Sacram., ex Epistola Paschalis II ad Pontium Cluniacensem Albricitius, anno 1118, et ex antiquis Pontificalibus, laudatis a Martenio l. 1 c. 1.

8683 In aliquibus locis, postquam fideles communicassent, dabantur reliquiae parvulis qui essent malitiae incapaces; propter quam consuetudinem factum est insigne illud prodigium sub imperatore Justiniano et Menna Patriarcha, in puero quodam quem hebraeus pater in fornacem injecit, indignatus quod reliquias Eucharistiae comedisset, quod refert Evagrius libro 4 Hist. eccl. c. 35, et tanta percrebuit fama, ut illud etiam S. Gregorius Turonensis rescierit et retulerit in libro De gloria Martyrum. Niceforus referens eandem historiam, addit se ipsum, cum puer esset, saepius reliquias Eucharistiae comedisset. Consuetudinem fere similem in Galliis fuisse, eruitur ex 6 Can. Conc. 2 Matisconensi, 589, quo jubetur ut feria quarta et sexta vocentur pueri doli et malitiae incapaces, quibus reliquiae sacrificii dentur vino intinctae.

8684 Haec tam antiqua adeo diffusa, et tamdiu perseverans consuetudo in Ecclesia orientali et occidentali, non potuit non esse honesta et rationabilis. Graeci praeterea et Syri et Cophti, priorem adhuc retinent disciplinam, ob quam immerito a plerisque Orientales redargui observat Dominicanus auctor De re sacramentaria, t. 1 p. 436. Non enim reprehendendum est quod per plura saecula universaliter obtinuit, et quod Romana Ecclesia in aliis non damnat neque reprehendit: quamvis enim justis de causis occidentalis Ecclesia hanc consuetudinem mutaverit, nunquam tamen antiquam damnavit: imo declarat Concilium Tridentinum: Sanctissimos illos Patres habuisse sui facti probabilem rationem; nullo autem modo rationabile et honestum videtur, neque ideo probandum aut tolerandum, tribuere Sacramentum iis in quibus debeat inefficax esse omnino et nullum.

8685 Unde abusus tradendi Eucharistiam mortuis, quod in aliquibus locis irrepserat, statim variis canonibus revellere et reprobare festinavit Ecclesia, ut videre est apud Chardon, Hist. Sacr. Non videtur ergo dubium quin antiqui Patres existimaverint Eucharistiam dare gratiam infantibus, et ideo eam dedisse, quod antiquus auctor librorum qui Dionysio

Aeropagitae adscribuntur testatur, ex sententia. Postquam enim dixisset: "Profanos irridere quod pueri qui nondum possunt intelligere divina, sacri baptismatis, altissimorumque communionis sacrosanctae signorum participes fiant", subjunxit paulo inferius: "Tradit autem puero sancta mysteria pontifex, ut nutriatur in ipsis, neque vitam aliam habeat, nisi hanc quae divina inspicit semper, et quae hujusmodi sancta communione proficiat".

8686 Sola igitur gratia habituali videtur necessaria ad Eucharistiae praecipuum effectum consequendum, nec praeterea ulla actualis dispositio animi, cujus infantes sunt incapaces. Sed cum efficacia Sacramentorum maxime pendeat a Christi institutione, hanc diligenter adhuc inspiciamus.

Christus solum dixit, *Jo. 6,58*: Qui manducat me vivet propter me. Paulus autem explicuit, hoc esse intelligendum de manducante digne; declarat deinde eum digne manducare qui prius probat seipsum, et sic de pane illo edit, *1 Cor. 11,27 sqq.* Haec igitur probatio necessaria est et sufficit; seu sola haec probatio necessaria est.

8687 Addit vero Concilium Tridentinum ex doctrina Patrum, illam probationem; necessariam in eo consistere ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque praemissa sacramentali confessione, ad sacram Eucharistiam accedere debeat. Ergo sola immunitas a peccato mortali, sive habitualis gratia tantum necessaria est, ut quis manducet digne Christum, atque ideo ut propter Christum vitam recipiat, quod est gratiae habitualis augmentum. Neque aliud institutionis genus ab aliquo Concilio aut Pontifice, aut ab ullo Sanctorum Patrum traditur: nam licet omnes hortentur ad accedendum ad hoc sacramentum cum magna reverentia et devotione, nullus tamen docuit actualem dispositionem necessario debere simul concurrere cum ipsa sumptione, ut illa digne et fructuose fiat.

8688 Ac denique nulla est sufficiens ratio ad conjectandum, voluisse Christum pios et justos homines in has angustias redigere; quia facillimum est homini ita distrahi ut nullam actualem attentionem vel devotionem habeat, aut omnino sine culpa, aut certe ex levi culpa, quae non satis est ad impediendum finem et fructum praecipuum Sacramenti; quod expresse docuit S. Thomas, dum ait, q. 79,9: Si quis accedat ad hoc Sacramentum per peccata venialia mente distractus, impeditur quidem in eo actualis refectio spiritualis dulcedinis, non tollitur autem augmentum habitualis gratiae et caritatis.

8689 Itaque Christus in institutione hujus Sacramenti convenientissima et sapientissima providentia qua omnia disponit et gubernat, et summa atque divina imis ac terrenis jungit, non solum respexit ad dignitatem hujus Sacramenti cui nec seraphicus ardor, aut Angelorum devotio satis digna invenitur, sed etiam ad hominis fragilitatem, qui est velut folium quod vento rapitur, et quem tamen suscipere

et visitare Deo placuit in hoc Sacramento, et apponere illi cor suum. Ut igitur provideret ad dignitatem Sacramenti, voluit hominem accedere cum iustitia, seu gratia habituali et caritate, qua scilicet homo privatus, excluderetur ab unione cum Christo, secundum illud, *Matth. 22,12*: Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem?

8690 Ut autem consuleret etiam hominis fragilitati, actualem dispositionem requisivit ut utiliore et magis fructuosam, et convenientem, non ut necessariam: qua scilicet praeditus homo particeps fieret actuali refectione spiritualis dulcedinis, juxta illud, *Ps. 33,9*: Gustate et videte quoniam suavis est Dominus. Et hoc magis convenit fini hujus Sacramenti: augmentum enim gratiae habitualis potest fieri sine ullo actu. Convenit item modo quo operatur: spiritualis enim nutritio fit per actionem alimenti in anima; nam corporeus quidem cibus mutatur per actionem viventis in substantiam ipsius animalis: sed ipse animalis homo mutatur in naturam superstantialis hujus panis, per actum vivificum divini alimenti.

8691 [Sintesi del Caso].

Qui tempore Communionis animo vagantur, aut puri in sua carne non sunt, si haec sint absque peccato vel cum veniali, non sunt absolute et ex necessitate arcendi a Communionem, sed ex congruitate ad tempus, nisi justa et rationabilis causa aliud quandoque exigere videatur; quia solum mortale impedit Communionem ex necessitate. Itaque qui dedita opera rebus frivolis et inutilibus tempore Communionis adhaeret, arguendus est, quia peccat saltem venialiter (scilicet secluso contemptu et scandalo) propter irreverentiam et obicem quem ponit actuali gratiae Sacramenti.

8692 [SULLA INTERRUZIONE DELLA MESSA]

Zacharias Papa, in Synodo Romano, can. 13 et 14, anno 743. relatus in cap. "Nullus de cons." disti. 1, ait: Cum... ingressus fuerit episcopus aut presbyter ad Missarum solemniam celebranda, nisi passio aliqua intervenerit, nullo modo audeat data oratione recedere, ut ab alio episcopo Mirrasum solemniam suppleantur; sed qui initium ponit suppleat usque ad finem, quia scriptum est: Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit, *Matth. 10,22*. Si quis vero praesumpserit praeter quod ponimus agere, a sacro corpore et sanguine Domini nostri Jesu Christi sit suspensus.

8693 Similiter in Concilio Toletano VII can. 2, relato in causa 7 q. 1 can. "Nihil", praeceptum est nullus absque praeventu patentis molestiae minister vel sacerdos, cum coeperit, imperfecta officia praeumat omnino relinquere. Si quis hoc temerarie praesumpserit, excommunicationis sententiam sustinebit. Unde in

rubrica missalis, § 10, De defectibus: Si quis extra hujusmodi casus integra Sacramenta non sumpserit, gravissime peccat. Hinc per se, et absque gravi causa, non licet Missam coeptam intgerrumpere postea perficiendam; et propterea, si fuerit notabilis interruptio, grave erit peccatum. Multo autem minus licitum erit, absque gravissima causa, Missam incoeptam non absolvere, sed imperfectam relinquere, etiamsi nondum ventum esset ad canonem.

8694 Possunt tamen alicue causae supervenire ob quas liceret nedum interrumpere, etiam notabiliter, sed et omnino relinquere aut contrahere.

Causa legitima interruptionis esset necessitas gravis et urgens propria, seu infirmitas celebrantis: quia nemo ad impossibile tenetur; recuperatis autem viribus, tenetur ipsemet perficere. Necessitas etiam gravis et urgens aliena in spiritualibus: veluti si baptizandus esset infans moribundus, vel excipienda confessio infirmi, vel unctio extrema administranda infirmo, qui aliud Sacramentum non potest recipere: quia caritas religioni praeponderat. Ex causa etiam sufficiente quodammodo interrumpitur ab Episcopo ut ordines conferat, a parcho propter concionem, vel publicationem edictorum Ecclesiae.

8695 Haec enim omnia, et his similia, hoc ipso quod intra Missam fiunt ex institutione Ecclesiae, satis illi cohaerent. Causae vero legitimae propter quas liceret coeptam; Missam omnino relinquere aut contrahere, sunt:

1. Impotentia facti, in qualibet parte Missae superveniens ex quavis infirmitate: item si celebrans non posset proseguere sine periculo mortis vel gravis mali, ut si timeatur incursus hostilis, vel alluvionis, vel ruina loci. Tunc enim si est ante consecrationem, dimittenda est Missa; post consecrationem vero, accelerare poterit sumptionem, ceteris omissis. (Si non potest sumere, poterit Sacramentum cum corporali plicato secum deferre). Si tamen in fidei contemptu vellet quis eum occidere nisi a sacro desisteret, teneretur continuare et mortem subire.

8696 Impotentia juris: velut si celebrans meminit se illo die aliquid comedisse, vel se esse suspensum, excommunicatum, irregularem, vel in aliquo peccato mortali.

Si enim ante consecrationem alicujus istorum miminerit, et nullum timeatur scandalum, desistere debet: alioquin serio poeniteat, cum proposito confitendi est satisfaciendi, vel petendi absolutionem. Item dimittenda esset Missa si ante canonem superveniret interdictum, aut cessatio a divinis, nec permetteretur januis clausis perficere, vel ingrederetur excommunicatus, notorius clerici percussor, aut alius nominatim denunciatus, nec vellet egredi; vel demum si sacerdote celebrante violetur Ecclesia ante canonem, juxta illud quod in rubrica missalis, tit. X, De defectibus, praecipitur: si post canonem, non dimittatur.

8697 Cum enim hoc mysterium et sacrificium sit omnium sacratissimum, locus sacer est maxime proportionatus ejus celebrationi; unde consequitur quod Ecclesia

consecrata vel benedicta, est locus aptus in quo communiter licitum est et debet offerri sacrificium. Quapropter S. Thomas, 3, q. 83,3, ait: In his quae circumstant hoc sacramentum duo considerantur: quorum unum pertinet ad repraesentationem eorum quae circa dominicam passionem sunt acta: aliud autem pertinet ad reverentiam hujus sacramenti, in quo Christus secundum veritatem continetur, et non solum in figura; unde et consecrationes adhibentur his rebus quae veniunt in usum hujus sacramenti, tum propter sacramenti reverentiam, tum ad repraesentandum effectum sacramenti, qui ex passione Christi provenit, secundum illud, *Hebr. ult. 13,12*: Jesus ut sanctificaret per suum sanguinem populum etc. Et in responsione ad 2.: Domus in qua hoc sacramentum celebratur, ecclesiam significat et ecclesia nominatur; convenienter tamen consecratur, tum ad repraesentandam sanctificationem quam ecclesia consecuta est per passionem Christi, tum etiam ad significandam sanctitatem quae requiritur in his qui hoc sacramentum suscipere debent... Et ideo regulariter non licet celebrare hoc sacramentum nisi in domibus consecratis; unde, sicut habetur de consecratione dist. 1: Nullus presbyter Missas celebrare praesumat, nisi in consecratis ab Episcopo locis.

8698 Quod si aliquid in ecclesia committatur ejus sanctitati repugnans, fit locus ineptus jure canonico celebrationi Missarum, et dicitur ecclesia violata seu polluta, ut constat ex cap. "Ecclesiis" et cap. "Si motum" De consecratione, distinctione 1, et cap. Proposuit, et cap. Si ecclesia, De consecrat. Eccl. etc. Quare grave peccatum erit in ecclesia violata celebrare. Si vero contingat ecclesiam pollui vel violari coepta jam Missa, dimitti debet, si nondum sit perventum ad canonem; quia nondum censetur proxime incoeptum sacrificium, et ideo sine indecentia omitti potest: post canonem vero dimitti non debet, quia canon proxime accedit ad consecrationem, et in eo censetur moraliter incoeptum sacrificium: quare praevalere debet obligatio prosequendi sacrum.

8699 Haec autem omnia quae hactenus exposuimus jam satis explorata sunt apud omnes, si ecclesia quae violari contingat sacerdote celebrante, sit consecrata; solus enim Episcopus loci, seu de ejus delegatione alius pariter Episcopus, reconciliare eam potest. Si vero ecclesia fuerit tantum benedicta, magna oritur quaestio inter doctores: utrum dimittenda sit omnino Missa ante canonem, vel solum interrumpenda; tunc enim simplex sacerdos potest eam reconciliare. Quare videtur nonnullis auctoribus quod sacerdos celebrans debeat tantum expectare donec ipsa reconcilietur, si commune possit ipse sacerdos, per se vel per alium eam reconciliare, juxta formam in caeremoniali; quod usuveniret in majori parte ecclesiarum. Non enim praesumi potest earum consecratio nisi probetur, vel nisi ecclesia fuerit cathedrali; inferiores vero ecclesiae praesumuntur tantum benedictae, si constet pluries ibi Missas celebratas fuisse.

8700 Nunc autem tota controversia in hoc sita est: utrum ad ejusmodi reconciliationem simplici sacerdoti necessaria sirt delegatio, seu licentia episcopi. Equidem Gregorius IX cap. Si ecclesia de cons. ait: Si ecclesia non consecrata cujuscumque seminx fuerit aut sanguinis effusione polluta, aqua protinus exorcizata lavetur, ne divinae laudis organa suspendantur. Ex quo textu nonnulli concludunt doctores, nulla praeobtenda delegatione fas esse simplici sacerdoti ecclesiam reconciliare. Sed Rituale romanum aperte hanc delegationem supponere videtur, ita praescribens: Ecclesiae violatae reconciliatio per sacerdotem ab episcopo delegatum fiat hoc modo, etc.

8701 Videtur etiam, rem mature perpendendo, quod cum tractetur de ecclesia subjecta, rationabiliter episcopus potest velle cognoscere quid circa ipsam fiat, atque ideo saltem de convenientia esse impetrandam facultatem talis reconciliationis. Porro quod ipsae etiam regularium ecclesiae, si fuerint pollutae, licentia episcopi indigeant ut reconciliari possint, deducitur ex nonnullis prilivegiis quae eam in rem a summis romanis Pontificibus frequenter Regulares conati sunt obtinere, ut videre est apud Josephum Catalanum.

8702 Immo Baruffaldus, nobilis Ritualis romani commentator, adjungit pro praxi quod haec delegatio non est facienda oretenus, vel per verbalem substitutionem, sed opus est ut in criptis cum subscriptione episcopi habeatur. Cum enim facile haberi possit nullitatis vitium, ob deficientiam alicujus seu clausulae, seu dictionis, ideo scripta apparere debet, ad hoc ut cancellarius describens actum reconciliationis, incipiat a facultate delegantis et delegati, et conficiat publicum instrumentum quod in archivio episcopali ad perpetuam rei memoriam registrari debet. Ex quibus omnibus satis apparere videtur quod etiam in casu quo ecclesia violata foret tantum benedicta Missa non interrumpenda solum ante canonem a celebrante, sed omnino dimittenda sit, juxta litteram rubricae missalis.

[APPUNTI SU S. IGNAZIO]

8703 Capo 3.

- Assiduità nell'orare, nel leggere, nello scrivere.
- Disprezzo del mondo.

Capo 4.

Confession generale in iscritto, fatta in tre dì, e interrotta dal pianto più volte.

La vigilia dell'Apostolo Pietro si convertì, e la notte della vigilia dell'Annunziata si travestì e vigilò dinanzi alla beata Vergine di Monserrato, come novello cavaliere.

Appena uscito del mondo trova chi di lui piglia cura.

8704 Capo 5.

Fatta a sé un'inviolabil legge di rompere e calpestare ogni desiderio che dalla diritta ragion non movesse, e di cercare, insin dove lecito fosse, quanto la natura fugge, e di fuggire quanto essa cerca.

Capo 6.

Fili accedens ad servitatem Dei, praepara animam tuam ad tentationem. Eccli 2, 1.

Capo 8. In Manresa, allorquando Ignazio venne, appena si conosceva Iddio; quando n'andò, pareva in buona parte una città di santi.

Capo 9. Trovandosi cinque o sei monete, in sul lido le pose prima d'imbarcarsi. Suo viatico la fidanza in Dio.

8705 Capo 12. In Barcellona andògli per la mente d'entrare in alcun ordine religioso di scaduta disciplina, e dare opera a dirizzarla, con certa speranza d'aver per Dio a patir molto da coloro i quali ripugnasser lo strignimento.

Iddio talvolta rivela a' Santi alcuna cosa in un tempo, serbandosi a darne loro la piena intelligenza in un altro.

Quantunque allo studio della dottrina intentissimo fosse, non per questo il fervor rimise della penitenza né dell'orazione.

Ribera, mercatante, principale tra suoi persecutori, vinto dalla pazienza del santo e dalla carità, onde fermamente avea tenuti in sé e gli esecutori e l'autor del misfatto, a Dio si guadagnò.

I santi, siccome per tutto trovano il loro Dio, ogni luogo ove ch'esso li ponga hanno per egualmente buono.

8706 Capo 13. Della prigionia di S. Ignazio.

Ebbevi persone di conto, le quali a trarre Ignazio di colà gli offersero l'ajuto loro. Frall'altre furono due principalissime Signore, Donna Teresa Enriquez, madre del Duca di Macheda, e Donna Leonora Mascaregna, allora dama dell'imperatrice, e poi aja di Filippo II. Ma né 'l favore accettò di queste, né volle opera di procuratore. La causa era di Dio: a Dio stava il difenderla. Questo è il costume de' santi: niente curare i proprj danni, e teneri essere degli altrui.

Capo 14. Nuova e mirabil cosa era a vedere uomini laici, e al di fuori neinte differenti dagli altri, farla pubblicamente da apostoli, e sacerdoti eziandio alla santità del grado loro, esortare e ridurre.

8707 Capo 15. Apertamente avea compreso lo studio essere il maggior servizio di Dio.

Fisa l'intenzione al fine, senz'attacco ai mezzi: all'uopo li cangia.

A Dio piace talvolta che i desiderj e le diligenze de' servi suoi, comeché buone, manchin d'effetto, a raffinamento della loro pazienza e sommissione, e fidanza in lui.

La povertà volontaria, nobilitata dall'esempio di Cristo, non può menomar lo splendore né delle reali famiglie eziandio.

8708 La prontezza con che oltre all'usato si mise allo studio della filosofia, fu al demonio incitamento a tentare in que' principj... se gli riuscisse di sturbarnelo, ingombrandogli la mente di pensieri, e il cuore di dolcezze che pareano celestiali. Mentre di filosofia conferiva con Pietro Fabro, essendo avvenuto che, mossi ragionamenti di spirito, quivi dolcemente si perdesse, a grande sconcio de' suoi studj, si convenne con esso Fabro che per innanzi si dovessero da così fatte intramesse al tutto ritenere. Parvegli convenevole nel tempo dello studio rallentare alquanto l'opera che dar soleva all'ajuto dell'anime, non già lasciarla per affatto.

8709 Medicando con le sue mani un sospetto di peste, gli cominciò la mano a doler forte, sicché n'entrò in pensiero d'esser compreso dal male, e ne sentì orrore. E perciocché l'immaginazione era veemente, né poteva il Santo, quantunque si sforzasse, cacciarla via da sé, a vincer quell'involontario difetto di conformità al voler divino, con gran cuore le dita di quella mano si mise in bocca, e rimenatele buona pezza. Or bene, disse, se tu hai la peste nell'una delle mani, tu l'avrai puranche nella bocca.

8710 Ad Ignazio studiando con buon fine accaddero molti travagli ed errori; onde dalla sperienza ajutato il senno, meglio provvide alla compagnia. E poi, qualora camminando dinanzi al Signore con leal cuore, pur n'avvengano contrarie cose eziandio ai santi desiderj nostri, quindi apprendiamo che sopra la paterna Provvidenza di Dio interamente ci dobbiam riposare, sicuri che, secondo l'Apostolo, a coloro i quali amano Dio tutte le cose tornano in bene. *Rom. 8, 28.*

Marvigliosa industria per guadagnare le anime: *Omnibus omnia factus.* 1 Cor.

9, 22 (verso la fine del libro 1).

8711 Libro 2. Capo 2. Lo spirito di vicendevole carità, per lo comunicare insieme, s'alimenta e conserva.

Dopo i lor voti, attendevano i compagni di S. Ignazio a proceder nello spirito e nelle lettere.

Questo fu il costume d'Ignazio fra le occupazioni, e massimamente degli studi: raccogliersi ad ora ad ora in luoghi rimoti, e quivi con lunghe contemplazioni soddisfare il suo spirito, e rinfocarlo.

8712 Capo 3. Usò il Santo di rimettere le sue austerità, incontanente che la cagione onde le avea intermesse era mancata; e altrettanto far dobbiamo noi, in quanto s'appartiene alle divozioni e alle penitenze nostre.

Volendo il fratello sviarlo dall'ammaestrare i fanciulli in Aspeizia, dicendo che non avrebbe chi l'udisse, rispose: Un solo che venga, a me basta. Ma la cosa andò tutt'altramente una moltitudine vi concorrea d'ogni maniera di persone, eziandio principali, e poi il fratello medesimo.

Ad Ignazio gli sconciamenti del corpo punto non impacciavan l'anima.

Capo 4. In un forte pericolo di naufragio Ignazio intrepido stava, siccome quegli che in quel forte accidente si teneva col suo Dio, e dolcemente si confidava che la morte, quando avvenisse, ne perfezionerebbe il congiungimento.

8713 Capo 5. I compagni d'Ignazio nel passaggio di Francia in Italia, aveano l'ore partite sì che alcune ne davano alla meditazione delle divine cose, altre a recitare, e talvolta a cantar con voce sommessa i salmi, e altre a santi ragionamenti; ché di sante cose o necessarie e non d'altro erano i loro parlari. All'osterie, nella prima giunta tutti insieme alquanto spazio oravano ginocchioni, e ringraziavan Dio de' benefizj ricevuti; e similmente al partirsene il pregavan della sua protezione. La tavola era sobria e parca; ma l'allegrezza dello spirito e la scambievole carità più la rendea saporosa che lauto convito. Ove d'alcuna cosa s'avesse a pigliar consiglio, con maravigliosa prontezza s'accordavano alle più voci.

8714 Capo 6. Pigliarono un poco di riposo, ma riposo da santi, ch'è mutare, non lasciar le fatiche, servendo allo spedale.

Capo 7. Per esercizio d'umiltà ciascun d'essi a vicenda era superiore e suddito.

Già in Venezia, e massimamente nell'apparecchiarsi al sacerdozio, gli avea Iddio rendute quelle delizie di spirito e quelle visitazioni celestiali di che avea goduto in Manresa, e che in Parigi tra le speculazioni degli studj gli s'erano in parte scemate.

8715 In Vicenza una panca in che s'avvenivano era il pulpito loro, d'onde con levare alto il cappello e la voce, invitavano la gente ad ascoltarli. Il parlare, siccome d'uomini oltramontani, era un mescolamento di parole più straniere che italiane, e niente colto; ma lo spirito di Dio ond'erano pieni, la forza de' sentimenti

e l'aria del volto spirante santità, in breve spazio fecer sì che dove que' cittadini dapprima eran venuti per trastullo, poscia n'andarono compunti e in gran maniera migliorati dell'anima, e l'altre volte avidamente vi tornarono.

8716 Massime del romito Angonio di Bassano.

1. Quello che fa morir di freddo l'anima è il non ispogliarsi affatto di sé medesimo;

2. e la più alta e la più utile sapienza del mondo è il non saper fare la propria volontà.

3. Chi non [ha] pace con Dio, ha sempre guerra seco medesimo:

4. e indarno s'invia per giugnere a Dio chi prima non si diparte da sé stesso.

5. Questa vita è un continuo riscuotere e pagar debiti:

6. e non è ricco se non colui che a guadagnar Dio perde sé stesso.

7. Ridevasi della maggior parte degli uomini, che si consigliano con un pazzo e con una pazza: il pazzo è il mondo, la pazza è la carne; ed essi in ciò fare sono pazzissimi.

8. Per morir bene, conviene prima esser morto.

9. Per cose grandi, bisogna conoscersi da niente.

10. Per viver con la felicità di vero cristiano [bisogna] sapere cavar bene ancora dal male.

11 Tra i parenti si trovano più disturbatori che imitatori.

12. Il paradiso Iddio non vuol darlo a coloro che stimano che costi caro, ma a coloro che quantunque caro il paghino, sempre par loro di averlo a buona derrata.

13. *In circuitu impii ambulat.* Ps. 11, 9. Gli uomini del mondo fanno un cerchio che dall'amor di sé medesimo cominciando, e girando per le creature, nel medesimo amore ritorna: al contrario de' Santi, che il lor cerchio cominciando dall'amore verso Dio, girano a quello de' prossimi, e per essi, e con essi ritornano a Dio.

8717 Libro 3. Capo 3. Mirabile in S. Ignazio era l'unione d'una prudenza finissima e d'una squisita diligenza, con un intero abbandono di sé in Dio. Se riguardavasi la cura che ponea negli affari, egli pareva che da quella sola attendesse l'avventuroso fine d'essi... Poscia che con tanto provvedimento avea disposto ogni cosa, il santo uomo si conosceva servo inutile, e tutto in Dio abbandonandosi, da lui solo aspettava il lieto successo dell'opera. Quindi, fermata che avesse tra i consultori alcuna determinazione, soggiugneva: Or resta dormirvi sopra, cioè trattarne con Dio nell'orazione. Né metteva egli mano giammai all'eseguire, che non avesse con Dio l'affare conchiuso. Quella poi, senza che gli umani consigli si sconciano ancora più gravi, e la prudenza più avveduta eziandio si confonde, cioè la signoria delle proprie passioni, possedeva Ignazio a maraviglia.

8718 Capo 4. A rinfocar i suoi nella perfezione, ancora si valea di spese

lettere, piene del suo spirito, che mettean fiamme dovunque le mandava.

Capo 5. Diligentissima cura e provvidenza avea de' suoi nel corpo.

Capo 6. Cause onde il reggimento suo era caro: La stima che i soggetti avean della prudenza di lui; la stima in che ciascun si vedeva essere appresso lui; l'amore.

Capo 9. Nel parlar de' principi, e massimamente de' Papi, oltre al credere di chi non l'udi, usava egli una considerazione somma e altrettanto esigeva da' suoi.

8719 Libro 4. Capo 1. Orazione. Ogni dì sette ore e più, quanto e' potea.

In ciascuna cosa di momento, orava come Mosè, e più quant'era più grave.

Checché si facesse, non perdeva di vista Dio, andasse o ragionasse, o sedesse a tavola, era suo costume levar gli occhi al cielo, per brieve spazio fisamente riguardando; onde nacque il dire di lui: quel Padre che guarda sempre in cielo e parla sempre di Dio.

Quella parte del dì che declina alla sera, pareva per lui solenne e sacra.

Usava fra il dì grandissima cura in guardare i sensi e le potenze dell'anima dai profani oggetti, acciocché questi poi non gli romoreggiassero per la mente nel tempo degli esercizj spirituali.

Trattando con Dio usava una somma compostezza e riverenza esteriore; di questa faceva grandissimo conto; questa reputava doversi da sé cercare, più che le dolcezze celestiali; e spesso pregando diceva a Dio: datemi umiltà e riverenza amorosa.

8720 Capo 2. Atti d'amore verso Dio. Un'estrema cura di guardar l'anima da tutto ciò che a quell'infinita santità potesse dispiacere.

Mezzi: Sempre avea gli occhi rivolti al Signore: da esso la regola pigliando di ciascun pensiero e detto, e fatto. Ciascun'ora del dì rivedea con sottilissimo esame la sua coscienza.

Diligenza acciocché d'ogni azione sua la divina Maestà s'avesse a compiacere; mettea a fronte il giorno di jeri al giorno d'oggi: e ciascun di trovava essere salito a grado più sublime di perfezione.

8721 Ebbe il cuore interamente staccato da tutte le create cose, quelle non amando che in Dio e Dio in esse.

Questi, disse, sono i veri termini delle buone creanze di coloro che lasciano il mondo per Cristo: dimenticare quanto più possono le cose della terra, per meglio avere a mente quelle del cielo; e tanto non tener conto di complimenti umani, quanto maggiore il debbon tenere del servizio divino.

Motivo di servire: la sola gloria di Dio.

Desiderio della morte.

Segnalata divozione a quanto avea di sacro.

8722 Capo 3. Amore a Maria. Usò di seco tener nel letto la corona di nostra Signora, acciocché nel pensier d'essa s'addormentasse, e destandosi nel pensier

d'essa tornasse. A niun affare, grave si fosse o leggero, mettea mano giammai, che quello a lei non affidasse; né addomandava a Dio mai cosa, che nol facesse per mezzo d'essa. Si portava una immaginetta al collo.

Capo 4. Zelo. Le opere, poichè erano da lui promosse, instituite e dirizzate in buono stato, Ignazio se ne traeva fuori, e trapassava a divisare altra opere di gloria di Dio e d'utilità dell'anime.

8723 Capo 6. Umiltà. Coloro che disegnano una sublime fabbrica di perfezione, fa di mestiere che prima d'altra cosa, pensino ad un fondamento profondo d'umiltà; e che tanto l'una salirà alto, quanto l'altro scenderà basso.

All'acquisto dell'anime più assai vale l'esempio d'una verace umiltà, che certa mostra d'autorità secolaresca e mondana.

Capo 7. Povertà. Venutagli da Portogallo richiesta ch'egli volesse in Roma dar mano perchè certe rendite di chiesa fossero a un collegio applicate, egli giudicò che si dovesse cotal faccenda rimettere alla gente di quel re; perciocché le divine ed eterne cose, disse, s'hanno dai nostri a trattare, non le terrene e caduche.

8724 Capo 8. Modestia. Giammai non pose gli occhi in donna, avvegnachè assaissime a lui ne venissero per ajuto dello spirito.

Macerazione. Mai a niuna vivanda fece lieto viso, quantunque famelico e digiuno. Mai non ordinò né mangiari né condimenti di niuna fatta, né patì che gli si porgesse niente di particolare. Mai non si querelò di cosa a vitto appartenente, quantunque per divertimento o per negligenza de' serventi male fossero i cibi cotti e sconciamente conditi, e 'l vino inacetito e guasto.

8725 Capo 9. Molto era parco nel lodare, e più assai nel biasimare altrui. Maldicenze da lui non s'udivano, né l'udiva egli; non gittava un motto delle colpe altrui, quantunque divulgate, e voleva che simigliantemente facessero i nostri. E dove alcuno uscisse in così fatte novelle, egli subitamente prendeva a giustificare o l'opera o, se tanto non poteva, almeno l'intenzione. E, quando per l'evidenza della cosa ancora questo scampo trovasse chiuso, si rifuggiva alla Scrittura, dicendo: Non vogliate giudicare anzi tempo: Iddio egli è che vede il cuore. E se pur talvolta gli pareva la cosa da riprovare, le sue parole erano queste: Nel vero, così io non avrei fatto.

8726 Le colpe de' suoi non palesava, fuor solamente a chi avesse potere di quelle ammendare; nel che si andava rattenuto e cauto che dove per lo riparo assai fosse scoprirle ad uno, già non le comunicava a due.

Nella comune conversazione favellava egli poco e udiva molto, né i ragionamenti rompea d'altrui. Non trapassava d'un proposito in altro senza ragione, la quale prima dimostrava.

Ciascun leggea un capo per ordine, a modo di meditare [dal] De imitatione Christi.

8727 Capo 10. Grandezza d'animo. Tolleranza dell'aspre cose; confidenza in Dio, sprezzatrice degli umani ajuti; forza del mettersi all'ardue imprese; costanza nel condurle a fine.

Pazienza: Se Iddio vi dà molto da patire, egli è segno che vuol farvi un gran santo; e se voi desiderate ch'Iddio vi faccia un gran santo, pregatelo che vi dia molto a patire.

Tutto il mele che si può trarre dalle delizie del mondo, non ha altrettanta dolcezza quanta n'ha l'aceto e il fiele di Cristo.

8728 Speranza in Dio. Animo niente ansioso degli ajuti umani. Coraggio all'imprese; costanza nel seguire l'incominciato.

Cause: Lunga e diligente considerazione e discussione delle cose, anzi che vi si appigliasse; le lunghe e fervide preghiere che spargea nel cospetto di Dio, e le molte lagrime a impetrarne il diritto consiglio; richiedeva del loro parere abili persone, le quali o il carico avean dell'affare o molta cognizione d'esso. Il dì determinato, non lasciava di compiere l'affare per la gloria di Dio, per qualunque accidente.

15. De votis sodalitatis

16. De paupertate

17. De castitate

18. De obedientia

Pars VI. De studentium promotione

De reliqua studentium probatione

Pars VII. De professorum gradu

De professione

2. - 19. De officio divino et celebratione Missarum

20. Media quibus hoc institutum salutem promovet proximorum

21. De puerorum et juventutis institutione

22. De mediis ad honestatem morum conservandam et augendam in pueris

23. Media ad profectum litterarium juventutis

24. De munere professorum

Pars Septima

De eorundem votorum observantia

Art. 1.

De paupertatis modo

Cap. 1.

De modo paupertatis respectu ad communitatem

9847 1. Il fine di questa Unione o Congregazione di Sacerdoti è di servire Dio Nostro Signore e la sua Chiesa gratuitamente quanto alla speranza e aspettazione di terrena mercede.

2. In ogni esercizio in pro delle anime serbare esattamente la direzione del Vescovo e avere da lui le facoltà e licenze ordinarie.

3. Essere pronti in ogni richiesta del Vescovo a predicare, confessare, istruire, o in città o in campagna, in qualunque luogo della Diocesi, nel Seminario o al popolo.

4. Per far questo con maggiore speditezza essere disoccupati da cure di anime, o particolari o perpetue in parrocchie o luoghi, molto più dove sia obbligazione di residenza, con qualche dignità ecclesiastica.

5. Per ottenere questo fine, attender primo seriamente alla perfezione propria del nostro stato.

6. Attendere pur seriamente in secondo luogo all'acquisto di tutta la scienza ecclesiastica, principalmente morale.

9848 **COMPENDIUM RUDE.**

1. Fine: Missionarj apostolici.

2. Modo: Sub dependentia etc. Episcoporum (quoad exercitium).

3. Gratis omnino servire Deo et Ecclesiae

4. Quocumque loco in Dioecesi et mundo

5. Immunitas a dignitatibus et residentiis, et beneficiis et curis particularibus et perpetuis animarum et monialium.

6. Mezzi: Perfectio sui ipsius

7. Perfectio in doctrinis omnibus ecclesiasticis

8. Vita communis
9. Perpetuum in omnibus obedientiae, castitatis et paupertatis exercitium
10. Modus vivendi, sive quoad alimenta, sive quoad vestes et tectum, sit communis clericis perfectioribus quibuscum vivimus, et consentaneus aedificationi fidelium, sive in paritate christiana, sive in paupertate, et evangelica paupertate.
11. Promotionis gradus differt secundum qualitates receptorum; nam alii quorum ingenium et pietas capax est, promoventur usque ad perfectum et summum opus sacerdotum, ressumentes apostolicam missionem.
12. Alii vero quibus vires et facultates animi et corporis sufficiunt, promoventur usque ad perfectum obsequium et auxilium missionariorum.
13. Regiminis ratio: ut sit unus Superior totius Sodalitatis ad vitam; unaquaqueque vero domus suam habeat Directorem seu Moderatorem, cui adjunguntur tamquam consilarii et administratores Oeconomus, Procurator, Magistri duo, alter rerum spiritualium, alter vero disciplinae exterioris.

[ALTRE STESURE]

9849 Compendium rube

1. Finis: Missionarii Apostolici
2. Modus: sub directione et dependentia Ordinariorum locorum in quibus Missiones fieri contigerit, quibus omnino parere debeant quoad exercitium attinet apostolici muneris, ac licentiam prius cum facultatibus ab eis recipere, servata semper eorundem Ordinariorum circa loca et tempus ejusmodi munus exercendi moderatione. (*Ex decreto S. Congregationis de Propaganda fide, 20 Dec. 1817*)
3. Gratis omnino servient Deo et Ecclesiae
4. Immunes a dignitatibus, residentibus, beneficiis et curis perpetuis et particularibus animarum et monialium
5. Quocumque euntes in dioecesi et mundo
6. Media: Perfectio sui ipsius
7. Perfectio in doctrinis ecclesiasticis
8. Vita communis
9. Perpetuum in omnibus obedientiae, castitatis et paupertatis exercitium
10. Ratio vivendi sive quod alimenta, sive quod vestes et tectum, erit consentanea clericis perfectioribus quibuscum vivent, et aedificationi fidelium, sive in paritate christiana, sive in evangelica paupertate.
Vestis simplex et honesta, quae paupertatem redoleat, et decens tum ministeriis, tum hominibus quibuscum versamur, et munda nec lacera
11. Promotionis gradus differt secundum qualitates receptorum:
Nam alii quorum ingenium et pietas capax est, promoventur usque ad perfectum

opus sacerdotum, assumentes apostolicam missionem:

12. Alii vero, quibus vires et facultates animi et corporis sufficiunt, promoventur usque ad perfectum obsequium et auxilium missionariorum.

13. Regiminis ratio sic est, ut sit unus omnibus praelatus ad vitam, quem sibi elegerit sodalitas. Unaquaeque vero domus suum habeat Directorem seu moderatorem ad triennium, quem creavit Praeses totius sodalitates, vel confirmavit successive ad idem tempus: cui adjunguntur tamquam consilarii et administratores oeconomus, procurator, magistri duo, alter rerum spiritualium, alter disciplinae exterioris.

9850 [Pars 1. Cap. 1.]

De admittendis et recipiendis.

1. Aetas 14 annorum, seu pubertatis expectanda est, ut quis recipiatur.
2. Impedimenta vero quaedam sunt naturalia, ut defectus sani iudicii et intellectus, cum quibus nemo admittitur.
3. Matrimonii consummati status.
4. Habitum religionis cujuscumque approbatae induisse, sive in religione ipsa, sive extra.
5. Aere alieno gravati, rationibus reddendis et civili aut naturali obligationi obnoxii, similiter impediuntur.
6. Defectus item natalium aut bonae famae.
7. Irregularem esse, maxime ex homicidio, mutilatione aut haeresi, schismate et similibus: item excommunicatione majori irretitum, quae denunciata sit vel lata contra notorium clerici percussorem.
8. Ex patre judaeo esse natum.
9. Corporis aegritudo, aut imbecillitas, quae ad labores sustinendos, aut muneribus religiosis impar sit.
10. Animi vitia difficile corrigenda, aut voluntatis et ingenii sive obstinatio, sive duritia quae artibus et disciplinae aut scientiae recipiendae repugnet.
11. Ineptitudo et improportio ad regularem observantiam, castitatis praecipue et obedientiae.

9851 [Pars 1.]

[Cap. 2.]

Defectus qui personam minus idoneam reddunt ad hanc sodalitem.

1. Tarditas ingenii, defectus iudicii aut memoriae, obduratio in proprio sensu, quando haec notabilia sint.
2. Natura difficilis ad virtutem, peccatorum habitus, indiscretae devotiones, defectus actualis dispositionis debitae.
3. Quod attinet ad corpus, debilitas, morbus, notabilis deformitas, defectus

integritatis corporis vel legitimae aetatis aut nimis acerbae, aut nimium provectae.

4. Quantum ad externa bona, aes alienum et civilis obligatio.

5. Discrete in hisce omnibus procedendum ut aliquis admittatur, et non sine consilio divinae sapientiae humiliter expostulato.

9852 [Pars 1. - Cap. 3.]

Dotes eorum qui admittendi sunt.

1. Qui temporalibus inserviunt, in iis requiritur ut eorum gradu contenti sint, aetate, viribus ad labores corporis qui in peculiari hac vita se offerent perferendos praedici, et ut homines difficili admodum ingenio non sint.

2. In iis vero qui ad spiritualia ministeria admittuntur, capacitas ingenii, indoles boni iudicii et sufficiens memoriae tenacitas; universae autem virtutis et perfectionis spiritualis studiosi sint, quieti, constantes, et strenui in his quae ad divinum servitium aggrediuntur; ut zelum habeant salutis animarum, et propterea ad hanc sodalitatem bene affecti sint; conveniens quoque aetas, quae saltem decimum quartum annum excedat, bona valetudo, vires ad sustinendos proprios huius vitae labores, et species exterior honestas, apta ad aedificationem proximorum; exoptanda item sermonis gratia, ad agendum cum proximis pernecessaria. De aliis vero externis fortunae bonis, hoc iudicium sit: si desint non requirenda, si adsint non parvipendenda, si aliis adjungantur.

9853 [Pars. 2 Cap. 1 et 2].

De modo recipiendi.

1. Probari primum oportet qui recipitur, an idoneus sit religioni et a Deo vocatus, et nostro instituto habilis sit.

2. Probatio autem prior per aliquod tempus brevius aut longius, fit in laico habitu, ut recipiendi noscantur, praesertim juxta bullam Sixti V.

3. Novitiatus autem inchoabitur cum religionis habitu, in loco seu habitatione separata, sub proprio magistro, sub disciplina tradita et exercitio praescriptorum actionum.

9854 [Altra stesura].

De modo admittendi in Sodalitatem.

1. Nemo admittatur sine duplici examinatione: una qua inquiritur ab aliis de admittendo et ejus qualitatibus, an sit idoneus ad hoc institutum, altera qua inquiritur ab ipso admittendo de occultis impedimentis et dispositionibus, ad hoc vitae genus capessendum.

2. Cum nihil contrarii appareat, imo omnia adsint indicia vocationis divinae, tum probandus est primo spiritus. Haec autem probatio praecedens fit domi in

quam recipitur, juxta consuetudinem antiquam religionum, tamquam hospes per decem aut quindecim dies commoraturus in loco separato a communi sodalium convictu.

3. Hisce diebus tribus generibus probationum utendum erit:

- primo, ut exhibeantur illi regulae, constitutiones et statuta quibus cognoscat ea omnia quae observaturus est;

- secundo, ut ingrediens spiritualibus actionibus meditationis ac poenitentiae exerceatur, et generalem Confessionem faciat, ac tandem Eucharistiam accipiat;

- tertio, ut doctrinae et ingenii, vel artis et corporalium virium, specimen exhibeat.

9855 Pars 2. [Cap. 3].

De modo quo probatur novitius.

1. Singulis semestribus legat novitius quae in jure ecclesiastico generali et particulari saltem praecipua sunt, ad normam cleri tum regularis tum saecularis; iis vero qui ad sacerdotium non promoventur, magister novitiorum legat aut exponat quae magis necessaria sunt ad vitam componendam. Deinde legato novitius regulas hujus sodalitates generales et particulares et constituta, vel saltem quae magis utilia in compendium redacta, aut quibus necesse sit magister exponat.

2. Similiter in unoquoque semestri fiat examinatio novitiorum, ut clariora fiant tum eorum perseverantia, tum in virtutibus et disciplina interiori profectus.

3. Exercitia spirituali integra exsolvere curabunt summo studio.

4. Humilibus exercitationibus domi per aliquod tempus addici novitium convenit.

5. In tradenda pueris et rudioribus christiana doctrina unusquisque pro captu ac temporum et locorum opportunitate exercebitur. Ad hunc finem unusquisque statim ab ingressu in novitiatum doctrinae christianae addiscendae operam dabit, nisi fuerit in hac antea probe instructus.

6. Postremo qui in hisce omnibus experimentis bonum virtutis exemplum jam reddiderit, post perfecta studia, et sacerdotio initiatus, ad ministeria praedicandi et confessiones audiendi applicabitur ad tempus.

7. Locua autem, seu domus ubi probantur novitii sit, quo magis fieri potest, seorsim a cohabitatione et conversatione reliquorum de sodalitate.

9856 [Pars 3. Cap. 1].

De tempore post novitiatum.

1. Qui studiis necessariis addicendi sunt in humanioribus litteris, et linguarum peritia perficiendi primum sunt per duos saltem annos. Deinde philosophicis disciplinis erudiendi per tres annos. Postmodum theologia scholastica erit iisdem

tradenda per quadriennium: ultimo duos vel tres annos ad Patrum lectionem [et graviora] studia repetenda privatim concedentur.

2. Qui doctrina imbuti sodalitatem ingrediuntur, novitiatu completo in ea perficiendi erunt, et in ea exercenda circa proximi ministerium probandi.

3. In hoc tempore unusquisque in vita et morum disciplina, per varia et nova experimenta et tentamina probabilem se reddet, ita ut ejus pietas, humilitas, prudentia, sit conspicua omnibus, praesertim vero superioribus.

9857 [Oars 3. Cap. 2].

De modo poenitentiae.

1. Nulla de poenitentiis communis regula sit, nisi haec una: ut omnes de communi victu, veste, lectis, ea tantum sumant quae apponuntur seu conceduntur a superiore, quaeque ad temperantiam, honestatem, decentiam, paupertatem et ad necessitatem simul sufficiant.

2. Ununquisque autem et acceptas habebit eas poenitentias quas confessarius aut superior ei imponet in Domino, illas etiam desiderabit et postulabis saepe pro mensura virium et gratiae quantum poterit majores: illi autem statuent vel moderabuntur.

9858 [Pars 3. Cap. 3].

De officio divino et celebratione Missarum.

1. Omnes clerici, laici quoque fratres qui habent aptitudinem vocis, dent operam cantui ecclesiastico addiscendo, non autem cantui figurato. Diaconi vero et sacerdotes omnino ab hoc studio abstineant, ut doctrinae et praedicationi sive addiscendae sive exercendae operam dent.

2. Cum acceperit quis postrema sacramenta in fine vitae, suffragetur ab omnibus sacerdotibus qui in domo sunt sacrificio Missae, usque dum duret periculum mortis; a ceteris autem sacra Communionem aut tertia parte Rosarii Beatae Virginis. Post mortem autem unusquisque sacerdos Missam applicet pro defuncto, reliqui vero communionem offerant, aut Rosarium integrum.

9859 [Pars IV. Cap. 1].

DE PROFECTU PROPRIO.

1. [Primo] mezzo [è] l'orazione. Oltre le quotidiane comuni, e le debite dell'Uffizio divino e Messa, divotamente quanto si può con la divina grazia adempiute, la meditazione ogni mattina prima della santa Messa per mezz'ora e la lezione il dopo pranzo per un quarto d'ora almeno, il triplice esame, cioè allo svegliarsi dal sonno, verso il mezzodì e innanzi dormire, la visita alla sera del

santissimo Sacramento, le prediche che si fanno nella nostra chiesa, e le comuni esortazioni religiose in casa: gli esercizi di otto giorni all'anno. Il confessarsi ogni otto dì dal confessore comune. Il conto da rendere di sé a' Superiori in confessione o fuori, secondo il loro piacere. La denuncia caritatevole al Superiore di tutti i loro difetti o tentazioni gravi, sapute extra confessionem.

2. Il secondo mezzo è l'esercizio studioso di purgare i vizi o difetti propri e inserire le virtù contrarie, e le infuse teologali e morali crescere e perfezionare, compiere le virtù religiose attentamente, ciò sono la obbedienza, castità e povertà, rinnegare le inclinazioni della carne, de' sensi, dell'amor proprio e mondano, l'esatto adempimento di tutti i precetti divini ed ecclesiastici, e de' particolari doveri dello stato sacerdotale e degli officii addossati nella religione, l'adempimento della sua regola e delle obbligazioni del suo istituto. La fuga totale dall'ozio, e l'occupazione continua in cose del ministero ecclesiastico o negli uffizj religiosi, o altro secondo la regola e l'obbedienza.

9860 [Altra redazione].

Pars 4. Cap. 1].

De Profectu sui ipsius.

1. [Primum] medium est oratio. Praeter quotidianas communes nec non debitas, quae in officio divino et Missa potissime continentur, attente ac devote, quod cum divina [gratia] fieri possit persolutas,

Meditatio quotidie mane ante Missam, per horae dimidium fiet

Lectio item spiritualis post prandium ad horae quadrantem

Examen triplex, scilicet ut primo mens vigilat a somno, ad meridiem, et ante cubitum.

Concio, tum quae publice fit in nostris ecclesiis, tum quae domi ad fervorem excitandum.

Exercitia spiritualia per octo aut decem dies quotannis

Confessio sacramentalis octavo quoque die, apud communem confessarium peragenda.

Ratio sui reddenda superioribus, sive in confessione sacramentali sive extra, quod libuerit.

Denuntiatio ex caritate facienda superiori, sive defectuum sive tentationum quae gravia sint et nota extra confessionem.

2. Alterum medium est studiosum exercitium

purgandi vitia et defectus, et inserendi contrarias virtutes

augendi et perficiendi infusas, theologales et morales

adimplendi virtutes religiosas, nimirum obedientiam castitatem, paupertatem

abnegandi inclinationes carnis, sensuum, amoris proprii et mundani
perfecta observantia omnium praeceptorum quae divina sunt et humana,
ecclesiastica et civilia, tum officiorum quae ad statum sacerdotalem pertinent,
quaeque religio superimponit, sive quoad regulam, sive quoad munia proprii insti-
tuti, fuga otii omnimoda et occupatio assidua in rebus quae ad ecclesiasticum mi-
nisterium, ad religiosa officia, aut ad regula observantiam et obedientiam superio-
ribus debitam pertinere videantur.

9861 [Cap. 2].

De profectu in ecclesiasticis doctrinis.

In hac religiosa clericali sodalitate, cujus finis est non solum contemplari, sed
etiam contemplata aliis tradere, necessaria est non vulgaria scientia, sed perfecta
rerum omnium quae ad fidem et mores pertinent; ac proinde necessarium etiam est
ut religiosi clerici hujusmodi scientiae perfecte acquirendae in tali statu religioso
incumbant.

... Ut igitur possint aliorum mentes illuminare qui in tenebris versantur, aut hae-
resibus resistere ingruentibus, aut rationem ejus quae in nobis est fidei reddere, aut
morales difficultates occurrentes dissolvere et omnibus satisfacere, in utraque
theologica doctrina, positiva et scholastica, speculativa et morali, satis instructus
quisque sit necesse erit.

9862 [Pars IV. Cap. 23].

De profectu in ecclesiasticis doctrinis.

1. Sapere, anche a memoria se si può, il catechismo del Bellarmino, poi sapere
il Catechismo Romano.

2. Studio di tutta la Sacra Scrittura, prima nel testo, poi ne' suoi commentatori.

3. Studio de' santi Padri greci e latini, massimamente de' sacri Dottori,

4. della sacra Liturgia e suoi commentatori,

5. de' Concilj generali, provinciali e particolari, massimamente diocesani,

6. de' Decreti universali e particolari de' Sommi Pontefici e Vescovi,
massimamente della città e diocesi in che dimorano,

7. della Giurisprudenza ecclesiastica, universale e particolare della Diocesi, e
civile,

8. della Teologia scolastica, massimamente di S. Tommaso,

9. della Dogmatica

10. delle controversie antiche e moderne,

11. della Teologia morale, casistica, mistica, teorica e pratica,

12. della Storia ecclesiastica e civile, e qualche erudizione, massimamente de' luoghi in che sono,

13. della Filosofia, metafisica, fisica, matematica, con qualche poco di medicina e delle arti liberali e meccaniche, come di agricoltura, disegno, calligrafia, ortografia etc.

14. delle belle lettere e delle lingue latina, greca, ebraica e della volgare,

15. della Concionatoria e catechistica sacra.

9863 [Cap. 3].

De disciplinarum serie.

1. Sciant vel memoriter si fieri possit, catechismum Bellarmini, dein et Romanum.

2. Studeant sacrae Scripturae universae, textualiter primo, postea cum suis commentatoribus.

3. Sanctis Patribus grecis et latinis, praesertim sanctis doctoribus.

4. Sacrae Liturgiae, tum ejus commentatoribus.

5. Concilii generalibus, provincialibus, particularibus, praesertim suae dioecesis.

6. Decretis universalibus et particularibus summorum Pontificum et Episcoporum, praecipue illius dioecesis in qua morantur.

7. Jurisprudentiae ecclesiasticae: universae et speciali dioecesis, tum civili similiter.

8. Scholasticae theologiae, praecipue S. Thomae.

9. Dogmaticae, praesertim Patris Petavii.

10. Controversiis antiquis et novis, praesertim Cardinalis Bellarmini.

11. Theologiae morali, praecipue sancti Liguorii, casisticae, mysticae theoriae et practicae.

9864 [Cap. 4].

De iis quae theologiam adjuvare et ornare possunt.

12. Historiae ecclesiasticae et civili; praeterea alicui eruditioni, locorum praesertim in quibus versantur.

13. Philosophiae metaphysicae, physicae, mathematicae, historiae naturali et litterariae; aliquid delibantes in medicina et ceteris artibus liberalibus et mechanicis, scilicet agriculturae, graficae, architecturae, calligraphiae, orthographiae, etc.

14. Humanioribus litteris et linguae latinae, graecae, hebraicae et vulgari.

15. Concionatoriae et cathechisticae sacrae.

9865 [Cap. 5].

De methodo studiorum.

Haec dicta sunt de toto corpore, seu confuse de operariis sodalitatis. Nam absolute loquendo dicere possumus necessariam esse sodalitati perfectionem omnium dictarum disciplinarum et linguarum; quia licet difficile, vel moraliter impossibile sit omnes illas simul cum theologica doctrina in singulis personis perfecte conjungi, tamen in ipso corpore sodalitatis esse potest et procuranda est excellentia in omnibus.

... In unaquaque igitur disciplina aliquis vel aliqui sint qui peculiari studio et diuturniori tempore ac diligentia illi incumbat et ad varia Ecclesiae obsequia quae pro temporum et occasionum diversitate occurrunt, utillima erunt.

... Quamvis autem haec studia in sodalitate principaliter ad theologiam referantur, ad quam et ad sacrae Scripturae intelligentiam ejus religiosi frequentius et principaliter tendunt, nihilominus interdum aliqui diutius in his inferioribus artibus occupantur, ut in eis singulariter ad praedictos fines excellant.

9866 [Cap. 6].

De mediis quibus studia promoveantur.

1. Peculiaris cura et ratio habeatur eorum qui studiis dediti sunt, tum ne sanitas laedatur, tum ut commoditas necessaria non desit. Itaque in victu et vestium decencia et honesta et necessaria recreatione superior ita vigilet ut omni harum rerum cura et solitudine liberi sint, facilius ferre possint studiorum laborem, religiosa moderatione contenti.

2. In unaquaque domo sit bibliotheca communis, amplior quidem pro necessitate vel qualitate studiorum.

3. Quisque studens libros habeat qui necessarii sunt.

4. Satagendum superiori erit ut temporibus ad valetudinem corporis incommodis, non studeant; somno etiam quantum temporis satis erit tribuant, et in laboribus mentis modum servant, ut diutius perseverare in litteris addiscendis et exercendis in Ecclesiae obsequium possint.

5. Providendum etiam ut studentibus tollantur impedimenta exteriorum occupationum et laborum, tam in domesticis officiis quam in aliis ministeriis, ut diuturnius studiis vacare liceat.

6. Ad hunc finem constituentur fratres qui temporalibus inserviant in unaquaque domo necessarii, ut studentes ab his muneribus subleventur.

7. Custodiant omnes morum probitatem et rectam intentionem divinae gloriae et fructus animarum, nam sine pura mente et sanctorum imitatione nemo comprehenderit sanctorum verba, ait Athanasius, De Incarnatione ad finem; et crebro orent Deum ut scientiam debitam illis largiatur, qui scientiarum Dominus est, *1 Reg. 2,3*.

8. Superiorum item erit providere ne fervore studiorum pietatis amor te pescat, et ne per nimium pietatis excessum, studia debita impediuntur.

9. Cathedrae etiam theologiae, interdum etiam philosophiae, si offerantur in Seminariis, sine contradictione aut disceptatione aut oppositione, et gratis doceantur, admitti possunt de licentia expressa superioris.

10. Gradus etiam in universitate accipi possunt, dummodo fiat sine laesione aut paupertatis aut humilitatis religiosae.

9867 [Pars V. - Cap. 1].

De promovendis ad sacerdotale officium.

1. Non induuntur clericali habitu ordinarie nisi post absolutum gymnasium.
2. Audiunt publicos praeceptores usque ad annum 25 (minoribus ordinibus insigniti).
3. Applicantur studiis earum scientiarum et artium apud nos usque ad 30 annum, circa quod (recipiunt majores ordines cum sacerdotio).
4. Non omittunt aliquod studium eorum in quibus magis proficiunt, aut necessaria sunt, dum paulatim se exercent in concionibus in nostris ecclesiis, in catechizandis pueris et rudibus, in audiendis confessionibus puerorum et adolescentum (usque ad annum 35 circiter).
5. Deinde in audiendis confessionibus virorum quorumcumque, et concionando in ecclesiis civitatis in qua morantur, in tradendis exercitiis etc. (usque ad annum 40).
6. Dentur veluti auxiliares (usque ad 45) quandoque missionariis, et quandoque etiam foeminarum confessionem audiant.
7. Hinc etiam foeminarum confessiones audiant et missionibus inserviant.
8. Denique munus Missionum dirigendarum accipiant, et saluti animarum omnino inserviant.

9868 [Altra stesura].

De promovendis ad sacerdotale officium.

1. Non induuntur clericali habitu nisi post absolutum gymnasium.
2. Audiunt praeceptores usque ad annum vigesimum quintum, minoribus

ordinibus insigniti.

3. Applicantur studiis earum scientiarum et artium quae apud nos coluntur et in quibus potissime ingenium eorum valet, usque ad annum tricesimum. Interea sacris et sacerdotio initiantur.

4. Non omittentes aliquod studium eorum in quibus magis proficiunt, aut quae magis necessaria sunt, paulatim se exercent in confessionibus puerorum et adolescentum.

5. Deinde in excipiendis confessionibus virorum quorumcumque, et concionibus habendi in ecclesiis civitatis in qua versantur, in tradendis exercitiis etc.

6. Dentur veluti auxiliores quandoque missionariis et quandoque etiam feminarum confessiones audiant.

7. Hinc etiam feminarum confessiones excipiant et missionibus inserviant ordinarie.

8. Denique munus missionum dirigendarum accipiant, et saluti animarum omnino insistant.

9869 [Cap. 2].

De promotione aliorum.

1. Horum duplex est genus:

Nam alii clericali vita initiantur: deinde superveniente aliquo impedimento quod domesticam disciplinam non turbet, puta infirmitatis et similia, nec aedificationem proxime domi aut foris impediatur, puta ingenii aut memoriae quae hebetentur, aut quibus doctrinae superioris incapaces reddantur, consistent in ordine et munere, seu gradu suscepto. Quod Superioris erit prudentiae, non sine maturo consilio prudentiorum examinare et definire, aut ad tempus aut in perpetuum. In quibus vero utiles erunt et apti hujusmodi homines, in his inservient Domino, et ad communem scopum attingendum alios juvabunt.

Alii vero sunt qui clericalem ordinem non suscipiunt, sed in temporalibus praecipue domum et sacerdotes coadjuvant. Hi vero rite christiana doctrina imbuti, alicui sive arti quam calleant, sive operi incumbunt, servientes Domino in simplicitate cordis, et virtutibus proximum aedificantes.

9870 [Altra stesura].

De promotione aliorum.

1. Horum duplex est genus. Nam alii clericali vita initiantur, deinde superveniente aliquo impedimento quod domesticam disciplinam non turbet, puta

infirmittatis aut similia, nec aedificationem proximi, sive domi sive foris auferat cum profectu sui ipsius, puta ingenii aut memoriae quae hebetentur, et quibus doctrinae superioris et gradus incapaces reddantur, consistent in ordine et munere seu gradu suscepto; quod Superioris erit prudentiae, non sine maturo examine et consilio prudentiorum definire aut ad tempus aut in perpetuum. In quibus vero utiles erunt et apti hujusmodi homines, in his inservient Domino et ad communem scopum attingendum alios juvabunt.

2. Alii vero sunt qui clericales ordines non suscipiunt, sed in temporalibus praecipue domum et sacerdotes adjuvant. Hi autem rite christiana doctrina imbuti alicui sive arti quam callent, sive operi incumbunt, servientes Domino in simplicitate cordis et virtutibus proximum aedificantes.

9871 [Pars V. Cap. 3].

De gradu seu officiiis inservientium in temporalibus.

1. Officia horum sunt: aedituus, ostiarius, hortulanus, coquus, vestiarii custos, pannorum lotor, villaris, cellarius, fabricator, etc., promus, scriba, sutor etc.

2. His praeficiuntur sacerdotes in inferiori gradu constituti, ut aedituo sacrista, hortulano et villari rei rusticae et hortorum praefectus, ostiario, coquo, lotori, sutori, promo, cellario oeconomus, fabricatori architectus, scribae oeconomus aut procurator.

3. Singuli vero in officiiis traditis possunt quandoque habere administros, qui eis in omnibus ad officium pertinentibus parebunt tamquam Superiori.

4. Singulis autem possunt plura etiam officia pro rerum natura aut necessitate committi.

9872 [Altra stesura].

De gradu seu officiiis inservientium in temporalibus.

1. Officia horum sunt: aedituus, ostiarius, hortulanus, coquus, vestiarii custos, pannorum lotor, villaris, cellarius, fabricator, promus, scriba, sutor, etc.

2. His praeficiuntur sacerdotes in inferiori gradu constituti, ut aedituo sacrista, hortulano et villari rei rusticae et hortorum praefectus, ostiario, coquo, lotori, sutori, promo, cellario oeconomus, fabricatori architectus, scribae procurator, etc.

3. Singuli vero in officiiis traditis possunt quandoque habere administros qui eis in omnibus ad officium pertinentibus parebunt tamquam superiori.

4. Singulis autem possunt plura etiam officia pron rerum natura aut necessitate committi.

9873 [Pars 6. Cap. 1].

De votis privatim factis tempore probationis.

1. Vota privatim facta tempore probationis a sodalitate non admittuntur, et ideo nihil illam obligant, sed libere potest hujusmodi novitium dimittere, quo casu talia vota cessabunt, nisi alia fuissent expressa intentio voventis.

2. Quoniam vero juvenes facile possunt ex fervore indiscreto talia vota emittere, illa fieri non permittantur nisi cum magna consideratione et consultatione, ac servata debita forma et subordinatione ad superiorem. Hujusmodi autem vota potius sint ad tempus quam sine temporis limitatione.

9874 [Cap. 2].

De votis sodalitatis.

1. Nemo vota cum solemnitate emittit nisi qui gradum missionarii apostolici in hac sodalitate, et juxta scopum ejus mereatur.

2. Coeteri collaboratores vota simplicia tantum in sodalitate coram superiore emittit, post convenientem probationem, ut ex jure communi et regula particulari hujus instituti.

3. Haec vota simplicia sunt perpetua quantum ad intentionem et obligationem personae voventis, quamvis ex legitima causa liberum sit sodalitati quae sub ea conditione illa recipit hujusmodi vota irritare aut cassare.

4. Similiter his votis non tollitur omnino proprietas bonorum temporalium aut impeditur acquisitio omnis ut ex successione, donatione, legato et similibus; sed tantum usus et administratio quae subordinantur voluntati superioris.

5. Qui studiis tradendi vota simplicia publice emittunt post novitium, promittunt etiam divinae Majestati, et quidem publice, se perfectiorem aut stabiliorem sodalitatis gradum recepturos qui eis injunctus fuerit a superioribus, post experimenta et sufficientem probationem.

9875 [Pars 7, Sectio 1, Cap. 1 et 2].

De modo paupertatis.

1. Nemo teneat ostium cellae aut arcam clavi obseratam, praeter superioris ordinationem.

2. Quamvis impraesentiarum stipendia Missarum pro necessitate recipiantur, non tamen nisi manuales Missae recipi valeant, ut nunc Deo favente fit, et Missarum hujusmodi stipendia non nisi ad normam synodalem aut paulo amplius cum aliquibus personis, maxime divitibus. Anniversaria autem, vel capellaniae in

nostris ecclesiis ex fundatione vel legato perpetua non admittantur.

3. 4. Omnes communem habeant victum et vestes et cubile et libri; nec quod ad usum conceditur, non nisi precario habeant, et parati sint in communem utilitatem reddere, ad nutum superioris omnia omnino quibus utuntur.

9876 [Altra redazione].

1. Nemo aliqua re utatur tamquam propria.

2. Qui simplicia vota emittunt in hac sodalitate, quamvis proprietatem rerum retinere possint, non tamen nisi conscio et approbante superiore, parati ad renuntiationem seu abdicationem quarumvis rerum, ad praescriptum superioris, nec novum dominium acquirere eis licet, nisi auctoritas vel voluntas superioris accedat.

3. Qui ad novitiatum recipiuntur, debent se exuere omnino bonorum, si quae habent, administratione, et insuper promittere relicturos se omnia bona post unum ab ingressu absolutum annum, quandocumque eis injunctum fuerit in reliquo probationis tempore. Quod tamen non votum, sed simplex promissio est sub conditione tacita, si perseveraverint et eis injunctum fuerit.

4. Superior autem cui hoc injungendi est potestas, non praecipiat nisi eis quos constantes in sua vocatione et stabiles omnino cognoverit, nec sine maturo consilio in hoc procedat et ubi tantum et quando expedierit, et juxta etiam patrias leges concessum.

9877... Nullus privatim possideat in cella vel sub sua custodia et ad liberum usum aliquid eorum quae ad corporis sustentationem pertinent, quaeque ad cibum et potum reducuntur.

... Si quidpiam hujusmodi alicui religioso mitatur, admittendum non est in ejus peculiarem possessionem vel usum, sed in communem usum accipiatur et dispensetur.

... In vestibulis etiam sive ceteris tegumentis aliisque quae ad cubandum inserviunt, praeter ea quae ad actualem usum corporis necessaria sunt, nihil aliud quisque apud se habeat, sed omnia in communi reposita sint apotheca.

... Libros nemo habeat sine facultate superioris, aut in eis inscribet aliquid, seu notabit.

... Nulli conceditur perpetuus usus librorum, aut quos secum libere deferat quocumque ipse transferatur.

... Nemo teneat ostium cellae aut arcam clavi obseratam, praeter superioris ordinationem.

9878... Nemo aliquid veluti in compensationem ejus ministerii spiritualis, sive pii officii quod sodalitas gratis exhibet proximis, accipiat.

... Nemo poterit mutuo dare, vel accipere, vel dispensare quidquam de his quae

domi sunt, sine consensu superioris.

... 1. Victus et vestitus, et lecti ratio omnisque religiosa suppellex, ea demum sit in qua nihil superflui admittatur, et si quod naturae necessarium est, nihil desit.

... Unusquisque ut contentus esse oportet eis quae de communi ei distribuuntur, ita paratus esse debet viliora etiam et magis abjecta accipere ad sui majorem abnegationem.

... 2. In ecclesiis nostris nec funera, nec funeralia stipendia, nec capellaniae, nec anniversaria, nec similia habeantur.

... 3. Non erit etiam in ecclesiis ulla arcula, seu capsula ad eleemosinas excipiendas.

9879 [Pars. 7 - Sectio 2 - Cap. 1 et 2].

De modo castitatis.

1. Sit clausura quoad foeminas.
2. Nemo exeat domo nisi de licentia superioris, et cum socio ab illo assignando.
3. Domum regressi, si quid erit notandum quod socius egerit aut intervenerit, referent invicem superiori; si quid insuper notabile sit circa audita ab aliis externis, aut inspecta in itinere, similiter referent.
4. Cum femina nemo colloquatur, aut ejusdem confessionem excipiat, nisi ostio aperto et iis praesentibus qui conspiciere possint, si non liceat audire.

9880 [Altra redazione].

1. Unusquisque ad eam castitatis perfectionem omni conatu tendat quae illos deceat quorum officium angelicum est, seu qui sint Christi Domini nostri paronymphi, imo quorum animam uni viro desponsatam, ut ait Apostolus, *2 Cor. 11,2*, Virginem castam seu mente et corpore sanctam exhibere decet Christo.

2. Frequens omnibus sit orationis et meditationis exercitium, quod sive communis regula, sive superiorum jussum cuique assignabit.

3. Ut inferiores a suis superioribus efficaciter et suaviter juventur ad superandas difficultates omnes et pericula quae in castitate servanda occurrere solent, quisque vel superiori, vel confessario, vel alteri cui spiritualis religiosorum cura demandata sit, nihil in hoc genere occultet, sed tentationes omnes et pericula manifestet. Qui pariter tentationem gravem aut periculum sodalis cujusque extra confessionem noverit, superiori secreto manifestare tenebitur.

4. Unusquisque eam carnis macerationem per abstinentiam cibi et potus praecipue assumet quae illi conveniat ad superiorum vel confessarii iudicium.

5. Otium prorsus et perpetuo ab omnibus et singulis effugiatur. Corporalis etiam labor, seu aliquod exterius membrorum exercitium, uniusque a superiore

taxabitur quod magis honestum et expediens sit.

6. Modestia item quae in oculorum praesertim aurium et linguae, et aliorum sensuum observantia et custodia cernitur, et quae reliquo corporis gestu sive habitu continetur, maxime cunctis necessaria est, tum ad morum puritatem conservandam, tum ad aedificationem aliorum promovendam.

7. Mulierum congressiones, visitationes, tum collucutiones, sive quae in praesentia ore fiunt, sive quae in absentia per litteras, fugiendae. In necessitate vero aut cum spe magni fructus, nisi viris valde probatis aut prudentibus a superiore non concedantur.

8. Quaevis etiam nimia familiaritas et singularia atque humana amicitia inter juvenes praesertim, caveatur.

9. Nemo itaque sine superioris licentia alterius cubiculum intret, et cum intraverit de superioris licentia, janua aperta sit dum colloquuntur.

10. Nemo alterum etsi per jocum tangat.

11. Magna etiam cura ab omnibus adhibeatur ut cum debita frequentia et dispositione ad sacramenta Confessionis et Eucharistiae accedant.

9881 [Pars 7 - Sectio 3 - Cap. 1. De humilitate].

... Praeter castitatem modestiam colant in omnibus, ita ut cunctis qui domi et foris sunt appareat ad laudem Dei.

... Et primo quidem per "humilitatem" omnem motum animi moderentur qui est ad aliquam excellentiam.

... In assecutione hujus virtutis exercent se per gradus illos duodecim quos divus Benedictus posuit in sua regula, scilicet:

1. Corde et corpore semper humilitatem ostendere, defixis in terram aspectibus.
2. Ut pauca verba et rationabilia loquatur aliquis, non clamosa voce.
3. Ut non sit facilis aut promptus in risum.
4. Taciturnitas usque ad interrogationem.
5. Tenere quod habet communis monasterii regula.
6. Credere et pronuntiare se omnibus viliorem.
7. Ad omnia indignum et inutilem se confiteri et credere.
8. Confessio peccatorum.
9. Per obedientiam in duris et asperis patientiam amplecti.
10. Ut cum obedientia se subdat majori.
11. Ut voluntatem propriam non delectetur implere.
12. Ut Deum timeat et memor sit omnium quae praecepit.

9882 [Cap. 2. De studiositate].

... Secundo moderentur omnes desiderium eorum quae sunt ad cognitionem, quod fit per studiositatem, contra vitium curiositatis. (Scupoli).

Appetitum itaque cognoscendi quisque refraenet, juxta apostolicam sententiam: Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem, *Rom. 12,3*. Quae officii sunt, ait Basilius, *Reg. 235, t. 2, 494 E*, studiose discat et persequatur, neque curiose ulterius quidquam inquiret.

Fugiant omnino nociva primum, deinde inutilia et impertinentia, quae maxime necessaria impediunt scire, juxta ejusdem Apostoli verba: Qui vult inter vos sapiens esse, stultus fiat, *1 Cor. 3,18*.

In iis vero quae necessario sive utiliter addiscenda erunt, contra laborem seu negligentiam, seu taedium addiscendi per vehementiam intentionis ad scientiam hujusmodi rerum percipiendam alacriter et constanter insurgent, propter Dei gloriam et Ecclesiae majus obsequium.

Servent etiam in studiis tempus praescriptum, ut nec ante nec post illud quasi furtive studeant vel legant seu scribant, seu meditentur; locum item et modum et ceteras circumstantias debitas in studendo exhibeant, ad normam obedientiae.

Ordinem etiam illum custodiant, ut nec scientiam spiritualibus exercitiis oratione et meditationis et examinis debiti, et similium anteponant, imo nec dum statim abrumpere, sed et totum etiam ad nutum superiorum relinquere, secundum illud *Psalmi, 118,66*: Bonitatem, et disciplinam et scientiam doce me.

9883 [Pars 7 - Sectio 3 - Cap. 3. De moderatione sensuum et actuum corporis].

... Tertio moderentur etiam id omne quod pertinet ad corporales motus et actiones, ut scilicet decenter et honeste fiant, tam in his quae serio, quam in his quae recreationis causa aguntur, (S. Ignatius).

Gressus etiam ille est probabilis, juxta Ambrosium, *1 De officiis, 18, t. 2, 21 C*, in quo sit gravitatis pondus, tranquillitatis vestigium, ita tamen si studium desit atque affectatio, sed motus sit purus et simplex.

... Similiter sicut molliculum aut infractum vocis sonum aut gestum non probat Ambrosius, *ibi, 19, t. 2, 24 a n. 84*, ita nec agrestum aut rusticum.

... Motuum exteriorum ordinatio attenditur non solum secundum convenientiam personae, sed etiam secundum convenientiam ad exteriores personas, negotia seu loca, juxta illud elogium quo sancti dicuntur pulchritudinis studium habentes, *Eccli. 44,6*: Hoc est autem pulchritudinem vivendi tenere: convenientia cuique reddere. Unde Augustinus, in *Regula*, scilicet *epistola 109*, alias *211,10, tom. 2, 784 F*:

In omnibus motibus vestris nihil fiat quod cujusquam offendant aspectum, sed

quod vestram deceat sanctitatem.

... Unusquisque consuetis et justis recreationibus communibus intersit, in quibus sicut per importunam asperitatem aut nimiam severitatem et morositatem aliorum honesta remissio animi seu quies non est turbanda aut impedienda, ita per religiosam modestiam cavenda est in verbis et factis jocosis, omnis saecularis petulantia, ne harmonia seu concentus bonorum operum et virtutum aliquo modo dissolvatur.

9884 [Cap. 4].

... Quarto demum moderentur id omne quod ad exteriorem apparatus pertinet, puta in vestibus et huiusmodi, ita ut quod idem religioso homini concedit et relinquit in usum paupertas, regularis modestia hoc ipsum reliquum ad omnem decorem et honestatem concinnet, in gloriam Dei et proximi aedificationem, (S. Thomas).

Decor non sit affectatus, sed naturalis, simplex, neglectus magis quam expetitus, et communibus et quae paupertatem religiosam oleant, sive vestibus, sive reliquo apparatu ita adjunctus ut honestati vel necessitati nihil desit, nihil accedat nitori, ut ait Ambrosius, *1. De Officiis, 19, 83 t. 2, 23 E.*

... Exterior itaque cultus sit humilis, ut excludat intentionem gloriae, nec superabundet in sumptibus et praeparationibus; per se sufficiens, ut excludat intentionem deliciarum, simplex denique, qui excludat superfluam sollicitudinem talium.

... Fugienda tamen est ea negligentia quae non adhibet studium vel laborem ad hoc quod exteriori cultu utatur, secundum quod oportet; et omnino vitent omnes eam quae etiam in ipsis sordibus luctuosis esse potest jactantia, et eo periculosior quod sub nomine servitutis Dei decipit, ut ait Augustinus, *2 De sermonibus Domini, 12, 41 t. 3/2, 216 E.*

... Vestis simplex sit et honesta, quae paupertatem redoleat, simul et deceat tum ministeriis, tum hominibus quibuscum versamur, et munda nec lacera.

9885 [Sectio 4. Cap. 1 et 2].

De modo obedientiae.

1. Omnes obediant praelato etiam inferiori, et cuicumque subest in officio et ei qui praelatis facultatem praecipendi habent, sicut Christo.

2. Curent ut ne dum facto obediant, sed et voluntatem superioris ordinationi et mentem ipsam conforment.

3. Obedientia sit in omnibus quae contra Dei praecepta aut Ecclesiae, aut regulas hujus instituti non sit, integra, prompta, fortis et humilis, cum perfecta abnegatione voluntatis et iudicii sui.

9886 [Altra redazione].

1. In executione, seu actu obedientiae curent omnes ut integre illa exhibeatur et non ex parte, non tantum in rebus obligatoriis, quod debitum est, sed etiam ad cumulum perfectionis, in aliis honestis quibuscumque; illa enim perfecta obedientia est quae universalis et nihil excipit, nisi quod displicet Deo. Promptior item erit quando expressum praeceptum obediendo praevenit, voluntate tamen superioris intellecta. (Denique pura fiet obedientia cum in superiore aut quocumque ejus delegato, non hominis personam, sed Dei et Christi unice respiciant, in cujus obsequium et reverentia ejusdem, ex amore illam homini praestant).

2. Celeritas quoque in actu obedientiae maxime appareat, ut nemo cunctabundus accedat ad exequenda mandata, aut lentescens; et coelestes spiritus in terra aemulantes, omni interposita mora et cunctis quibus inhaeserint relictis, festinent et advolent ad faciendam voluntatem Domini sui, ut primo vocantis praeceptum vel signum innotuerit; perfecta enim obedientia sua imperfecta relinquit.

3. Humilis etiam erit obedientia actus, si nulla ante executionem adhibeatur excusatio. Quod si vera ratio impediens interveniat, vel saltem talis existimetur aut de ea probabiliter dubitetur, haec superiori humiliter indicanda erit, eaque illi disceptanda relinquatur.

4. Denique fortis sit obedientia, idest constans, et cum debita perseverantia, ut in nulla re aut tempore desit, quamvis difficilis et naturae repugnans ea sit.

... Regulae et ordinationes quaecumque in hac sodalitate non obligant ad aliquam culpam, sive mortalem sive venialem; similiter jussio simplex superioris non censetur obligationem ad culpam includere nisi addat "in virtute obedientiae", vel quid simile.

... Quantum vero ad affectum voluntatis in obediendo, pura esse debet in primis et formalis intentio obedientiae propter praecepti observationem, et propter voluntatem superioris implendam, vel altius propter voluntatem Dei, quae in illa et per illam applicatur.

... Voluntaria item sit obedientia, ita ut libentissime et diligentissime obtemperet subditus, praepositum monasterii, ut ait Hieronymus, *Epist. 125 ad Rusticum, c. 15 t. 1, 937 A*, timens ut Dominum, diligens ut patrem.

9887... Demum sit obedientia cum hilaritate et spirituali gaudio, eaque fiat constanti et perseveranti animo, et cum omni animi humilitate. V. 3 Laur. Just. in opusc. *Lignum vitae, p. 8. de Obed. c. 6.*

... Quantum vero ad intellectum, curent omnes et satagent, ut obedientia sit omnino simplex, ut non respiciat superiorem ut hominem, sed ut Deum; et praeceptum ejus non ut humanum, sed ut divinum recipiat.

... Jussionis rationes non exposcant, non discutiant, non scrutentur, quando libera sunt a peccato; nec de majoris sententia quisque judicet, cujus officium est obe-

dire et implere quae jussa sunt, dicente Moyse: Audi Israel et tace, Deut. 27,9 juxta LXX. Cf. Hieron. *Epist. 125,15 ad Rusticum, t. 1,937A*; et haec omnis sapientia sit ut in hac parte nulla ejus sit dicente Apostolo: Qui vult sapiens esse, stultus fiat, *1 Cor. 3,18*.

... Assuescat unusquisque se consilio et judicio superiorum regi, illud Patrum monitum apud Cassianum, *Coll. 2 c. 11*, sollicite retinens, quod nullo alio vitio tam praecipitem diabolus monachum pertrahit ac perducit ad mortem, quam cum neglectis consiliis seniorum, suo judicio persuasderit definitionique confidere.

9888 [Pars 8 - Cap. 1 et 2].

De reliqua studentium probatione.

1. Exactis studiis, ut si quid virtutis fervor per litterarum occupationem intepuerit, recalescat, studentes adhuc per annum probabuntur, tum in devotionis et humilitatis exercitiis, tum in ministeriis sodalitatis.

2. Haec probatio fiet, vel una cum aliis novitiis, ob exiguum eorum qui probantur numerum, vel separatim ab iis.

[Altra redazione]:

2. Haec probatio fieri potest, vel propter exiguum numerum in eodem loco Novitiorum, vel in domo separata, amicorum et consanguineorum consuetudine semota, sive coram, sive per litteras.

3. Si numerus sufficiet, in eadem domo sub instructore uno convenient, qui auctoritate regendi etiam experientia valeat.

4. Institutore vero illos omnes in spiritu formandos curabit universamque nostri instituti rationem explanabit, per statos aliquot, cujusque hebdomadae dies, ac modos exponet juvandi proximos salutariter.

5. Poterit etiam idem institutor poenitentias et mortificationes inter ipsos tamen privatim injungere, quas ad eorum profectum conducere judicabit; quidquid tamen ad externam disciplinam spectat, non nisi consulto superiore domus cujus fortasse separata eorum habitatio pars aliqua fuerit.

6. Quod si eorum quisquam minus in probando satisfecerit, educendus erit, et in tempus aliud differendus.

9889 [Pars IX - Cap. 1].

De professis.

1. Ad professionem non admittuntur nisi sacerdotes, quia ad professos pertinet principale regimen ejus [sodalitatis] et graviora ministeria, quae sacerdotium requirunt.

2. Postulatur item eruditio non mediocris in litteris et in vita et moribus conspicuis, et in affectuum moderatione magna probatio.

3. Quando et a quibus facienda sit professio, iudicium erit penes sodalitatis superiorem.

9890 [Cap. 2].

Media quibus hoc institutum salutem promovet proximorum.

1. Assumptio status clericalis, et omnis dispositio ad illum, cum perfectione assumendum.

2. Sacramentorum administratio, praecipue confessionis et Eucharistiae Sacrificiis, etiam fructum missionum et concionum et confessionum a Deo imploratio.

3. Verbi Dei quodcumque ministerium, 1. publice concionando vel instruendo populum catechismis tum publicis tum privatis, 2. colloquiis piis et sanctis conversationibus nunc vitia fraterne corrigendo, nunc ad virtutem exercitium et sacramentorum frequentiam hortando, 3. nunc ad perfectionem instruendo et excitando, 4. spiritualium exercitiorum usus, 5. congregationum promotio, 6. infirmorum et maxime morientium devota cura.

4. Clericorum institutionem et disciplinam adjuvando, tum in seminariis, tum in parochiis et domibus per publicas lectiones, vel privatas collationes, eorum studia et pietatem promovendo.

9891 [Cap. 3].

De puerorum et juventutis institutione.

1. Institutio christiana puerorum et juventutis, et aliarum praesertim rudium personarum oratoriis, catechesibus, privatis etiam interdum instructionibus pro viribus promoveatur a nostris.

2. Ubi fieri potest, litteris etiam instrui a nostris juventutem decet, in quo secunda est regula ex brevioribus S. Basilii 2, q. 2, t. 2, 518 A: Cum Apostolus dixerit: Patres nolite ad iracundiam provocare filios vestros, sed educate illos in disciplina et correctione Domini, *Eph. 6,4*, si qui eos adducunt hac mente adducunt, et qui suscipiunt tales sunt qui planissime confidant posse se qui sibi adducantur in disciplina et correctione Domini educare, servent quod praeceptum est a Domino qui dixit: Sinite pavulos venire ad me: talium est enim regnum coelorum, *Matth. 19,14*; remoto autem hujusmodi proposito ac spe, hoc neque Deo gratum neque ex decore aut ex utilitate nostra esse existimo.

3. Etsi doctrina pueri imbuendi, praecipue tamen honestas morum in hac

institutione intendenda est.

9892 [Cap. 4].

De mediis ad honestatem morum conservandam et augendam.

1. Quoniam conscientia pura sedes est sapientiae, scholares saltem singulis mensibus confiteantur peccata.

2. Quotidie Missam audiant.

3. Curandum est maxime ut in iis quae ac christianam doctrinam pertinent bene instituantur; semel in hebdomada praelegatur doctrina christiana, quam etiam addiscant et recitent.

4. Singulis etiam hebdomadis aliqua declamatio fiat per quam omnes ad augmentum virtutis excitentur.

5. Praeceptores etiam inter legendum cum se occasio obtulerit, ad obsequium et amorem Dei et virtutum discipulos moveant.

6. Initio scholarum seu lectionum publice oratio praemittatur. Docendi autem sunt pueri ut in ea brevi oratione duo efficiant: unum est ut omnia sua studia et in particulari tempus illud et actionem in Deum referant; aliud est ut assuescant a Deo postulare gratiam ad proficiendum in studiis. Quod ad omnes alias vitae actiones illis valde utile esse poterit.

7. Libri nonnisi casti et pii praelegantur, aut omnino purgati, nec discipulis alios haberi aut legi permittatur.

9893 [Cap. 5].

Media ad profectum litterarium juventutis.

1. Quaerenda in primis est in magistris sufficientia ac diligentia, ut non solum docti, sed et assidui et studiosi sint profectus juventutis in omnibus litterarum exercitiis.

2. Ordo sive methodus maxime servetur, tum in doctrina tradenda, tum in omnibus litterariis exercitiis, et praelectionum recognitione, et in adhibenda diligentia ut scholares privatim studeant, vel aliquid componendo, vel repetendo aut conferendo ea quae audierunt.

3. Libri ad praelegendum eligantur non solum qui fidei et moribus periculum aliquod offerre nullo modo possint, sed etiam qui ad studentium utilitatem magis fuerint accommodati.

4. Correctio sufficiens non desit pro qualitate et capacitate scholarium, si tamen corporalis poena sit adhibenda, propter religiosam decentiam non per ipsos praecceptores, sed per parentes pueri vel correctorem aliquem deputatum ad id

muneris executioni mandanda est.

5. Si correctio non sufficiat, et periculum sit ut aliis noceat, cum ipse parum proficiat, expellendus est ab studio is qui incorrigibilis est.

6. Praemia item sive munuscula quaedam externi scholaribus proponi et dari utillimum est ad excitandum studiorum fervorem; modus autem in iis servetur honestus et religiosus.

7. Quoniam vero honor alit artes, Cic. *Tusc. 1,2*, nec corporalia praemia non semper possunt ad manus haberi, ideo hoc genere praemii pro captu actionum et personarum utantur praeceptores, consignatis aliquibus locis aut signis honoris quibus puerorum aemulatio et major diligentia excitetur.

9894 [Cap. 6].

De munere professorum.

1. Eorum manus est docere non solum in concionibus, exercitiis, lectionibus, quae ad vitam aeternam consequendam necessaria vel utilia sunt, sed etiam rudimenta fidei et morum, praesertim rudibus et pueris explanare in oratoriis, in catechismis publicis et privatis. Hoc etiam maxime Ecclesiae utile est, et ideo maxime etiam iis commendatum sit.

2. Confessiones omnium et praesertim pauperum et puerorum excipere, et ad Sacramentorum debitam frequentiam inducere.

3. Dum aliquo mittuntur, vel alicubi residere jubentur, nemo nec pro itinere nec pro statione provisionem ullam expectent, sive ab Episcopis, sive a Parochis, sive a superioribus, sed liberaliter se offerant omnino et praestent.

9895 [Cap. 7].

De praecipuo scopo sodalium professorum.

1. Cum ejusdem sodalitatis scopus sit Ecclesiae sub Episcoporum directione obsequium praestare per varia sodalitatis propria munera, haec autem quandoque ardua et difficilis res et, si ad fragilitatem hominum comparetur, periculis quibusdam forte exposita esse videatur, non tamen propterea imprudens aut temerarium est propositum vocationis nostrae.

2. Primum quidem quia non humanis viribus, sed Spiritus Sancti gratia implendum creditur: qui enim coepit et inspiravit, illud ipse perficit si per nos non steterit, Philipp. 1,6; nam haec est specialis gratia hujus vocationis, quae potentior est omnibus periculis et difficultatibus.

3. Deinde per hanc intentionem non proponimus nos periculis exponere, nec hunc vel illum locum adire, aut has vel illas actiones exercere, sed directionem se-

qui orthodoxi Episcopi quem Spiritus Sanctus posuit regere ecclesiam Dei, *Act. 20,28*; quod medium satis cautum est ad non errandum in via Dei.

4. Accedit tandem religionis providentia, tum in disponendis et probandis personis, tum etiam in eis eligendis et omni ope suffulciendis et confirmandis.

5. Nullus praeterea in hanc vel illam partem se mitti procuret, sed se moveri sinat.

6. Se tamen paratum ostendere malum non est; nam et Isaias se obtulit, *Isai. 6,6 sqq.* et Hieremias se excusat, *Hier. 1,6*: sed nec Hieremias restitit Deo mittenti, nec Isaias ire contendit priusquam se per altaris calculum purgatum vidit, "ne aut non purgatus, ait Gregorius M. *l. 6 ep. 5, c. 169, t. 2,615/1 D*, adire quisquam sacra ministeria audeat, aut quem superna gratia eligit sum humilitatis specie superbe contradicat.

9896 PARS X.

De concordia sodalium.

Cap. 1.

1. Omnes ut spiritus vocationis scopum et tesseram habeant illud Christi Domini verbum: In hoc cognoscent omnes etc., *Jo. 13,35*.

2. Omnes ut spiritus vocationis scopum et tesseram habeant illud Christi Domini verbum: In hoc cognoscent omnes etc. *1 Tim. 5,8*.

3. Unusquisque autem illam veluti hujus concordiae normam prae oculis habeat quam [in] Actibus 1, exhibent primi illi fideles, unde omnes religiones initium et formam sumpserunt: erat cor unum etc. *Act. 4,32*.

4. Singuli hanc unionem et concordiam omnino sectentur, et quae contraria huic sunt omnia, dissensiones, discordias, prorsus abhorreant et omni studio evitent, considerantes illud *Ps. 132,1*: Quam jucundum etc. et quod adjungit Augustinus, *Enarratio in Psalmum 132, t. 4,1484 A sqq.*, et Bernardus, omnisqua spiritus domnandi seu praecipendi, etc.

9897 Cap. 2.

De mediis negativis.

1. Cum dicat Apostolus, *Eph. 4,26*: Sol non occidat super iracundiam vestram, et Dominus in Evangelio: Cum ascenderis ad altare, et ibi recordatus fueris quod frater tuus habet aliquid aversum te, relinque ibi munus tuum et vade prius reconciliari fratri tuo, *Matth. 5,23, sqq.* statim curandum est ut deposita ira et omni perturbatione remota, ex corde reconcilientur mutuo, et cum debita satisfactione in gratiam invicem redeant.

2. Qui dissensionis aut divisionis inter sodales aut inter Superiorem auctor fue-

rit, omnino a domo vel etiam a sodalitate, si incorrigibilis fuerit, separandus illico erit.

3. Nemo sodalem suum vel de generis aut patriae quae defectu contristet aut offendat, etiam per jocum. Quare de iis cavendum ne non imperans sermo fiat aut verbum intercidat, sed nec sinistre sentire in animo curandum.

4. Ante omnia ne murmurationis malum pro qualicumque causa, in aliquo qualicumque verbo vel significatione appareat. Quod si deprehensus fuerit quis, districtiori disciplinae subjaceat, ait Basilius, *reg. c. 34. Cf. Reg. Brev. 39 t. 2,427 E.*

5. Cum ad religiosam caritatem praecipue pertineat se invicem obsequio, beneficio et honore praevenire omnisque spiritus dominandi seu praecipendi, et omnis significatio ejus reprehensibilis sit, et de se valde alienet animos, omnis jubendi modus et affectus vitandus est, quia superbiam redolet et caritatem non conciliat; sed si fortasse in aliquo negotio praecire cogatur aliquis, non praecipere sed demonstrare quae agenda sunt videatur. Et omnes ex consilio Apostoli serviant invicem, *Gal. 5,13*, ita ut fiat quod eleganter dixit Chrysostomus de antiquis monachis, *hom. 58 ad pop. In Matth. hom. 72, alias 73, t. 7,433 D*: Non potest quisquam illorum audiri contumeliam inferens aut patiens, non imperans nec cui imperetur, sed omnes ex ministrantium sunt numero.

6. Nullus audeat alium castigare aut increpare aut reprehendere nisi auctoritatem habeat vigore sui officii vel a superiore receptam; quamvis, ut docemur a Christo, *Matth. 18,15*, paratus esse debeat ad aliorum correctionem debita caritate cooperari. Itaque monere ex caritate solum est blande, leniter et humiliter rem proponere, ostendere et rogando magis quam exasperando expostulare.

9898 Cap. 3.

De opinionum contrarietate fugienda (quod fieri potest).

1. Quamvis nihil prohibeat aliquos inter se caritatem habentes in opinionibus dissentire, *S. Th. 2-2, 28,3, q. 29,3 ad 2*, nec hoc repugnet paci, attamen usus ipse et praxis ostendit opinionum diversitatem et frequentem contradictionem non parum obesse unioni caritatis, et saepe dissensionem parere, et ad minimum remittere fervorem, et perfectionem ejus minuere:

vel quia, licet opiniones pertineant ad intellectum, tamen multum pendant ex affectu et pia affectione voluntatis:

vel quia opinionis contradictio apprehenditur ut diminutio quaedam propriae aestimationis et famae, quae occasio est ut affectus ad alium multum minuatur:

vel denique quia haec contrarietas saepe provenit ex quadam aemulatione circa doctrinae propriae existimationem et honorem atque alia humana commoda quae inde proveniunt: hinc Abbas Joseph apud Cassianum, (*coll. 16,8*): Quae admo-

dum, ait, carnales adhuc et imbecilles fratres ob vilem terrenamque substantiam inimicus ille disjungit, ita etiam inter spirituales gignit pro intellectuum diversitate discordiam.

Quare opinionum dissentio et contentio et disceptatio, et pugna verborum maxime pertimescenda et quod fieri potest ab omnibus vitanda est.

2. Itaque, quantum ad doctrinam solidam magisque in Ecclesia approbatam, nulla omnino diversitas admitti debet inter nostros: cum novae opiniones tali doctrinae repugnantes admittendae non sint.

In opinionibus autem in quibus catholici Doctores variant inter se, vel contrarii sunt, curandum est ut conformitas etiam in nostris sit, utique quod fieri potest.

Praecipue autem necessarium est ut haec diversitas, si qua sit, non sit in toto corpore doctrinae, ita ut videantur esse inter nostros quasi scholae contrariae: hoc enim maxime solet animorum divisionem efficere.

3. Maxime vero curandum ne diversitas doctrinae quae ex affectu et directa voluntate procedit, ulla ratione permittatur: namque ex instituto doctrinam alterius oppugnare indicium vehemens est dissentientis potius voluntatis, quam intellectus, et ideo non potest non nimium nocere caritati.

4. Huc etiam maxime pertinet ut non cum offensione alterius ejus doctrina oppugnetur in publicis lectionibus, concionibus aut scriptis libris; hoc enim est quod non solum alterius animum offendit, sed etiam scandalum maxime inferre solet, praesertim si acerbe et contentiose fiat. Unde prae oculis habenda est illa Nazianzeni sententia (*or. 26 De moderatione in disputationibus, 27 t. 1, 400 C*): Turpe est... in divinis... disputationibus principatum et tyrannidem sibi vindicare, nec cuiquam omnino cedere, verum supra omnes legis doctores supercilium efferre, ubi humilitas non solum gloriam habet, sed etiam securitatem.

5. Praeterea in rebus agendis judiciorum diversitas evitanda est: haec enim dissensionis occasio frequentius et generalius occurrit, estque magis perturbationibus exposita; quia non solum inter doctos, sed etiam inter indoctos et inter magnos et parvos invenitur, et in singulis fere rebus et actionibus intervenire potest; et ideo solet esse majus dissensionis seminarium, eoque efficacius quo majori affectu in his humanis rebus et exterioribus actionibus versatur. De qua re Bonifacius Papa (in *Clementinis, Dudum, de sepulchris l. 3 tit. 7*): Dissensiones et scandala pravis actibus aditum praeparant, rancores et odia suscitant, et illicitis moribus ansam praebent.

9899 Cap. 4.

De contraddictione verborum eliminanda.

1. Discordia et animi amaritudo maxime augeri solet per verborum contentionem. Diversitas enim judiciorum adeo humana est, ut si lenitate et

moderatione verborum animique modestia propanatur, neminem offendat; at contentio, temeraria contradictio et pertinax propriae sententiae defensio plurimum laedit, et ideo hoc totum nobis maxime vitandum est.

2. Curae nobis esse debet, ait Nazianzenus (oratione supradicta) ut quemadmodum pueros in primis moribus et prima institutione fingimus ut insequentis aetatis improbitatem fugiant, ita nos quoque ne in levimus quoque parvique momenti disputationibus audaciae atque ineptiae significationem praebeamus, ne ea tandem diuturna consuetudine in majoribus abutamur. Sic etiam Augustinus: Adolescentes, inquit, assuefaciendos esse ne quod semel dixerint pertinaciter defendant.

3. Basilius in regula (*49 ex fusioribus, t. 2,394 D*) ait: Quotiescumque aliqui inter se de re aliqua collidunt dissidentes et corrixantes, eos nequaquam inter se pugnaciter nimis contendere debere, sed controversiae decisionem superioribus reservare.

4. Augustinus vero in regula (*c. 39 et 34, alias 10 t. 1,793 E*) ait: Lites nullas habeatis, aut quam celerrime finiatis, ne ira crescat in odium et trabem faciat de festuca.

5. Johannes Climacus (gradus 4 de obedientia, post medium) ait: Is qui dum loquitur verbum suum, quamvis illud sit verum, firmare voluerit, sciat se diaboli morbo aegrotari. Non autem loquitur de confirmatione per juramentum, quae longe solet esse a religiosis, sed de contentiosa affirmatione quae ex superbia oriri solet, quam vocat daemonis aegritudinem.

6. Idem subjungit: Quod si cum suis aequalibus colloquendo id facit, fortasse aliquando majurum increpatione curabitur; sin vero in majorum et sapientiorum sermone contra sententiam pertinax in sua opinione perseverat, humana arte numquam sanari poterit.

9900 Cap. V.

De privatis affectionibus fugiendis.

1. Caritatem, inquit Basilius, (Const. 36, alias 29, t. 2,577 D) mutuam inter se fratres habere debent, non ita tamen ut duo tresve seorsim a ceteris sodalibus inter se coeant; quando quidem hoc non caritas sed divisio et seditio, et eorum qui inter se coeunt improbitatis indicium; si enim communis decus disciplinae carum haberent, qui tales sunt sine dubio communem aequalemque adversus omnes caritatem tenerent. Si vero ipsi a reliquis sua sponte abscissi disjunctique in coetu coetum efficiunt, vitiosa hujusmodi amicitiae conciliatio est, et diversam quamdam a communibus institutis rem esse oportet quae hos inter ipsos conciliet; atque hoc profecto nihil est aliud quam contra veterem disciplinae stabilitatem constantiamque innovatio.

2. Idem (regula 34 ex fusioribus) amorem hunc privatum "vitosum" appellat, et vitium maxime infame, quo mutua et concors conspiratio quae ex caritate nasci consuevit distrahitur, et in ejus locum suspiciones pravae, aemulationesque atque obtrectiones clam arripunt.

3. Idem (sermo 1 De abdicatione rerum, circa medium) ob custodiam etiam et cautelam pudicitiae et honestatis hoc maxime commendat, et concludit: Crede mihi, quoniam fraterne tibi atque ex intimo animi recessu loquor.

4. Idem (sermo 1 de institutione mon. ad finem): Non patitur caritatis lex aliquas coiri seorsim amicitias aut sodalitates: quia fieri non potest quin affectiones istae quae in hanc potius quam in illam partem propendent, plurimum incommodent communi omnium concordiae.

5. Et qui in hoc delinquit, subjungit inferius, castigandum esse, ut injurium publicae caritati: siquidem in eo quod quis aliquem unum plus diligit, facile indicat reliquos se in amore inferiores habere.

6. Denique (const. 36): qui hoc vitio laborat, ait, si post debitam correctionem non emendetur, ut ovis pestilentia contacta ab reliquo ovoli segregandus ne in reliquos quoque morbi contagionem transfundat.

9901 Cap. [VII].

De moderanda doctrina praecedenti.

1. Idem Basilius (*serm. 2 de institutione mon.*): Licet aequalis et similis caritas adversus omnes tenenda sit, unicuique tamen pro cujusque decore honos habeatur.

2. Et sicut in naturali corpore omnia membra quadam aequalitate diligimus et dolore carere procuramus, magis autem illa quae nobiliora et utiliora sunt, sic quoque, ait, in cuncto conventu cum aequaliter misericordia ex malis cujusque moveamur, et similiter caritate adversus omnes simus propensi, nihilominus tamen iis qui utiliores sunt majorem, ut aequum est, honorem habeamus.

3. Quocirca haec caritatis amplitudo et aequalitas, ordinem debitum justamque distributionem non excludit; imo ejus perfectio et conservatio non minus ex hac difformitate, ut sic dicam, quam ex illa uniformitate consurgit. Nam sicut ex privatis affectionibus inordinatis, oriuntur suspiciones, invidiae, obtrectiones et similia vitia quae caritatem laedunt, ita ex indebita parilitate ordo confunditur et virtus debito honore ac praemio privatur. Atque ob eam rem iudicio omnium sapientum, non minus necessaria est ad fovendam caritatem justa distributio quam communis benevolentia.

4. Cum dicat Paulus (*1 Tim. 5,17*): Qui bene praesunt presbiteri duplici honore digni sunt, maxime qui laborant in verbo et doctrina, concludit Basilius (in *Regulis brevioribus*, 170): Hoc rectum arbitror, ut in omnibus qui istiusmodi sunt, servetur. Quod late etiam docet Cassianus (*Coll. 14 c. 16*) exemplo Christi Domini

Johannem specialiter diligentis. Non igitur omnis amor qui ad quosdam major sit quam ad alios, in religione reprehenditur; sed ille qui modum excedit: ideoque singularis et privatus, quasi per antonomasiam dicitur.

9902 Cap. [VIII].

De indiciis privati amoris deordinati.

Pars X. De unitate seu unione sodalitatis et de mediis concordiae.

Proëlium. De concordia sodalium.

Sectio 1. De mediis negativis.

Cap. 1. De non laedendo fratre.

Sectio II. De mediis positivis.

Cap. 1. De interiori propensione, sive animi dispositione.

1. Haec ex interno spirituali profectu maxime pendet, quo caritas vera, seu amor in Deum et Christum dominum nostrum dum incrementum habet, unio ipsa inter sodales ipsos ex quo singuli uniuntur Deo et Salvatori nostro, augetur et perficitur.

2. Unde, quia hoc unionis vinculum oratione ac meditatione maxime crescit, juxta illud Psalmi 38,4: In meditatione mea exardescet ignis: ideo sine dubio haec est certior et solidior via ad hanc unitatem obtinendam.

3. Quoniam vero nihil ita conciliat erga aliquem verae caritatis amorem, quam cum singularia virtutum ornamenta et Spiritus Sancti dona in eo conspicimus, eumque ut Dei imaginem optimis gratiae coloribus depictam contemplamur; si ergo omnes et in se ipsis studeant in his virtutibus et donis crescere, et in aliis ea frequenter considerare, eosque tamquam sibi superiores in animo ducere, et de illorum spiritualibus bonis gaudere Deoque gratias agere, mirum profecto in modum mutua inter eos caritas crescet.

9903 Cap. II.

De exterioribus quae magis generalia sunt, et unitati inserviunt.

1. Hujusmodi unio magna ex parte per obedientiae vinculum conficitur, ait S. Ignatius, *Consg. p. 8 cap. 1. § 3.*

2. Simile est paupertatis et humilitatis medium, sive rerum temporalium contemptus. Inter temporalia namque, honores et dignitates aequae ac divitiae temporalesque commoditates computantur: nec minus illorum quam horum bonorum contemptus ex Dei caritate sequitur; pauperes etiam spiritu et humiles, sicut omnibus honorem exhibent, ita ab omnibus corde intimo recipiuntur.

9904 Cap. III.

De specialibus in quibus eminent uniformitas in vivendo.

1. Uniformitas item et conformitas sit in omnibus rebus, etiam extremis, ut in vestitu, vi...

Cap. IV. De modo victus et mensae communi.

Cap. V. De cura sodalium infirmorum.

Curandum est, quam fieri potest, ut communio sodalibus infirmis ultra octo dies non differatur.

[Altra stesura]:

De cura aegrotorum et infirmorum.

9905 Cap. VI.

De hospitalitate erga sodales.

1. Si fratres aut sodales ad nostra domicilia ex quocumque loco divertant, hospitalitas eis exhibenda est, cum omnibus signis et operibus benevolentiae et caritatis.

2. Non solum autem nostri peregrini humanissime tractandi sunt dum in loco aliquo versantur, sed etiam vestes et viaticum, si indiguerint, illis est praestandum: neque hoc potest esse paupertati contrarium, si caritati videatur necessarium.

3. Hoc ad omnes extenditur, erga omnes sodales, sine ulla generis aut patriae distinctione etc.

9906 Cap. VII.

De recreatione et colloquio communi.

1. Singulis diebus una hora post prandium et alia post coenam, vel dimidia cum a coena abstinetur, sodales omnes inter se familiariter et amice, in eodem loco, si fieri possit, conveniant et colloquantur; quod et pro tuenda salute, praecipue tamen ob caritatem fovendam omnibus injunctum esse oportet, quoniam amicitia, Aristotele teste, communicatione crescit, taciturnitate dissolvitur (*8 Eth. 5*). Simile de caritate annotavit S. Theresia: Caritas communicando crescit. Hoc autem fuisse in primitiva Ecclesia usitatum satis pervulgatum est, et simile de antiquis monachis indicat Hieronymus (*epistula 22 ad Eustochium, De custodia virginitatis, 35, t. I, 118 A*) solitos nempe fuisse per decurias ad mensam convenire, et postea hymno dicto, seu post gratiarum actionem...

9907 Cap. VIII.

De mutua inter absentes communicatione per litteras.

1. Nec solum inter sodales ea communicatio est quae animos eodem loco habi-

tantium in unum cor et animam jungat, sed etiam absentibus fratribus illa non desit litterarum communicatio quae ad eundem finem inserviat.

2. Frequens igitur debet esse litterarum commercium inter superiores et inferiores, et crebro alii de aliis certiores fiant, eaque audiant quae ad aedificationem prodesse valent.

3. Basilius ait (*regulae morales 70 c. 15. t. 2, 297 CD*): Qui Dei beneficio recte aliquid fecerit, is ceteris quoque notum facere illud debet, ut Dei gloria crebrior efficiatur; affertque de hoc Apostolorum exempla, *Act. 14, 26; Eph. 6, 21*.

Cap. IX. De mutua inter sodales cura profectus.

AUTOGRAPHUM CONSTITUTIONUM

9908 [Autographum Constitutionum quas suae Sodalitati dabat].
[R. D. Gaspar Bertoni]

COMPENDIUM RUDE.

1. Finis. Missionarii Apostolici, in obsequium Episcoporum.

2. Modus: sub directione et dependentia Ordinariorum locorum, in quibus Missiones fieri contigerit, quibus omnino parere debeant, quod ad exercitium attinet Apostolici muneris, ac licentiam prius cum facultatibus ab eis recipere, servata semper eorumdem Ordinariorum circa loca et tempus ejusmodi munus exercendi moderatione. (*Ex Decreto S. Congreg. de Prop. 20 dec. 1817*).

3. Gratis omnino servire Deo et Ecclesiae.

4. Immunes a dignitatibus, residentiis, beneficiis et curis perpetuis et particularibus animarum et monialium.

5. Quocumque euntes in dioecesi et mundo.

6. Media:

- Perfectio sui ipsius.

- Perfectio in doctrinis ecclesiasticis.

- Vita communis.

- Perpetuum in omnibus obedientiae, castitatis et paupertatis exercitium..

- Ratio vivendi, sive quod ad alimenta pertinet, sive quod ad vestes et tectum erit consentanea clericis perfectioribus quibuscum vivent, et aedificationi fidelium, sive in paritate christiana, sive in evangelica paupertate.

7. Promotionis gradus differt secundum qualitates Receptorum. Nam alii, quorum ingenium et pietas capax est, promoventur usque ad perfectum opus sacerdotum, assumentes apostolicam missionem. Alii vero quibus vires et facultates animi et corporis sufficeunt, promoventur unque ad perfectum obsequium et auxilium missionariorum.

8. Regiminis ratio sic est, ut sit omnibus praelatus ad vitam, quem sibi elegerit sodalitas. Unaquaeque vero domus suum habeat Directorem, seu moderatorem ad triennium, quem creavit Praeses totius Sodalitatis, vel confirmavit successive ad idem tempus. Cui adjungitur tamquam auxiliarii et administri, Oeconomus, Procurator, Magistri duo, alter rerum spiritualium, alter disciplinae exterioris.

9909 PARS PRIMA - *De iis quae admissionem antecedunt.*

Cap. 1. De admittendis seu recipiendis.

1. Aetas 14 annorum seu pubertatis expectanda est, ut quis recipiatur.
2. Impedimenta vero quaedam sunt naturalia, ut defectus sani iudicii et intellectus, cum quibus nemo admittitur.
3. Matrimonii consummati status pariter impedimentum huic receptioni est.
4. Similiter habitum religionis cujuscumque approbatae induisse, sive in religione ipsa, sive extra.
5. Aere alieno gravati, rationibus reddendis et civili aut naturali obligationi obnoxii simili ratione impediuntur.
6. Defectus item natalium aut bonae famaе.
7. Irregularem esse, maxime ex homicidio, mutilatione, aut haeresi, schismate et similibus: item excommunicatione majori irretitum, quae denunciata sit, vel lata contra notorium clerici percussorem.
8. Ex patre Judaeo esse natum.
9. Corporis aegritudo aut imbecillitas, quae ad labores sustinendos aut muneribus religiosi impar sit.
10. Animi vitia difficile corrigenda, aut voluntatis et ingenii sive obstinatio, sive duritia, quae artibus et disciplinae aut scientiae recipiendis repugnet.
11. Ineptitudo et improportio ad regularem observantiam, castitatis praecipue et obedientiae.

9910 Cap. II. *Defectus qui personam minus idoneam reddunt ad hanc Sodalitatem.*

1. Tarditas ingenii, defectus iudicii, aut memoriae, obduratio in proprio sensu, quando haec notabilia sint.

2. Natura difficilis ad virtutem, peccatorum habitus, indiscretae devotiones, defectus actualis dispositionis debitae.

3. Quod attinet ad corpus, debilitas, morbus, notabilis deformitas, defectus integritatis corporis, vel legitimae aetatis, aut nimis acerbae aut nimium protractae.

4. Quantum ad externa bona, aes alienum et civilis obligatio.

5. Discrete in hisce omnibus procedendum, ut aliquis admittatur, et non sine consilio Divinae sapientiae humiliter expostulato.

9911 Cap. III. *Dotes eorum qui admittendi sunt.*

1. Qui temporalibus inserviunt, in iis requiritur, ut eorum gradu contenti sint, aetate viribus ad labores corporis qui in peculiari hac vita se offerunt, perferendos praediti, et ut homines difficili admodum ingenio non sint quorum praeterea numerus necessitate operis definitur, ne otiosi sint.

2. In iis vero, qui ad spiritualia ministeria admittuntur, capacitas ingenii, indoles boni iudicii, et sufficiens memoriae tenacitas: universae autem virtutis et perfectionis spiritualis studiosi sint, quieti, constantes et strenui in his, quae ad divinum servitium aggrediuntur: ut zelum habeant salutis animarum, et propterea ad hanc Sodalitatem bene affecti sint: (ut zelum habeant salutis animarum et propterea) conveniens quoque aetas, quae saltem decimum quartum annum excedat, bona valetudo, vires ad sustinendos proprios hujus vitae labores, et species exterior honesta, apta ad aedificationem proximorum: exoptanda item sermonis gratia ad agendum cum proximis pernecessaria.

[De aliis vero fortunae bonis exterioribus, hoc iudicium sit: si desint, non requirenda; si adsint, non parvipendenda, dum aliis adjungantur).

9912 PARS SECUNDA - *De admissione.*

Cap. I. *De modo admittendi in Sodalitatem.*

1. Probari primum oportet qui recipitur, an idoneus sit religioni, et a Deo vocatus, et nostro instituto habilis sit.

2. Nemo admittatur sine duplici examinatione. Una, qua inquiritur ab aliis de admittendo et ejus qualitatibus, an sit aptus ad hoc institutum altera, qua inquiritur ab ipso admittendo de occultis impedimentis et dispositionibus ad hoc vitae genus capessendum.

3. Probatio autem haec prior per aliquod tempus brevius aut longius, fit in laico

habitu, ut recipiendi noscantur, praesertim juxta Bullam Sixti V.

9913 Cap. II. De modo recipiendi in domum nostram.

1. Cum nihil contrarii appareat, imo omnia adsint indicia vocationis divinae: tum probandus est primo spiritus. Haec autem praecedens probatio fit domi, in quam recipitur juxta consuetudinem antiquam religiosorum ordinum, tamquam hospes per decem aut quindecim dies, commoraturus in loco separato a communi convictu.

2. Hisce diebus, tribus generibus probationum utendum erit.

a) ut exhibeantur illi regulae, constitutiones et statuta, quibus cognoscat ea omnia quae observaturus est.

b) ut ingrediens spiritualibus actionibus meditationis ac poenitentiae exerceatur: et generalem confessionem faciat, ac tandem eucharistiam accipiat.

c) ut doctrinae et ingenii, vel artis et corporalium virium specimen exhibeat.

3. Novitiatus autem inchoabitur cum religionis habitu in loco, seu habitatione separata, sub proprio Magistro, sub disciplina tradita et exercitio praescriptarum actionum.

9914 Caput III. De modo quo probatur Novitius.

1. Singulis semestribus legat quae in Jure ecclesiastico generali et particulari saltem; praecipua sunt ad normam cleri tum regularis tum saecularis; iis vero qui ad sacerdotium non promoventur, Magister Novitiorum legat aut exponat, quae magis necessaria sunt ad vitam componendam. Deinde legat Novitius regulas hujus Sodalitatis generales et particulares, et constituta, vel saltem quae magis utilia in compendium redacta, aut, quibus necesse sit, Magister exponat.

2. Similiter in unoquoque semestri fiat examinatio Novitiorum, ut clariora fiant, tum eorum perseverantia, tum in virtutibus et disciplina interiori profectus.

3. Exercitia spiritali integra exsolvere curabunt summo studio.

4. Humilibus exercitationibus domi per aliquod tempus addici Novitium convenit.

5. In tradenda pueris et rudioribus Christiana doctrina unusquisque pro captu ac temporum et locorum opportunitate exercebitur. Ad hunc finem quisque statim ab ingressu in Novitium Christianae doctrinae addiscendae operam dabit, nisi fuerit in hac antea probe instructus.

6. Postremo qui in hisce omnibus experimentis bonum virtutis exemplum jam reddiderit, post perfecta studia et sacerdotio initiatus, ad ministeria praedicandi et confessiones audiendi applicabitur ad tempus.

7. Locus autem, seu habitatio, ubi probantur Novitiis, sit, quo magis fieri potest, seorsim a cohabitatione, et conversatione reliquorum de Sodalitate.

9915 PARS TERTIA. *De altera Probatione.*

Caput I. *De tempore post Novitiatum.*

1. Qui studiis necessariis addicendi sunt, in humaniorum litterarum, et linguarum peritia perficiendi primum sunt per duos saltem annos. Deinde philosophicis disciplinis erudiendi per tres annos. Postmodum Theologia scholastica erit iisdem tradenda per quadriennium: ultimo duo vel tres anni ad Patrum doctrinam et graviora studia repetenda privatim conceduntur.

2. Qui doctrina imbuti Sodalitatem ingrediuntur, Novitiatu completo, in ea perficiendi erunt: in eaque exercenda circa proximi ministerium probandi.

3. In hoc tempore unusquisque in vita et morum disciplina per varia et nova experimenta et tentamina probabilem se reddet, ita ut ejus pietas, humilitas, prudentia sit conspicua omnibus, praesertim vero Superioribus.

9916 Caput II. *De modo Poenitentiae.*

1. Nulla de poenitentiis communis regula sit, nisi haec una, ut omnes de communi victu, veste, et reliquo in religiosae vitae usum apparatu ea tantum sumant, quae apponuntur seu conceduntur a Superiore, quaeque ad temperantiam, honestatem, decentiam, paupertatem et necessitatem simul sufficiant.

2. Unusquisque autem et acceptas habebit eas poenitentias, quas confessarius aut Superior ei impopsuerit in Domino, illas etiam desiderabit et postulabit saepe pro mensura virium et gratiae, quantum poterit majores, illi autem statuent, vel moderabuntur.

9917 Caput III. *De Officio Divino et celebratione Missarum.*

1. Omnes clerici, laici quoque fratres, qui habent aptitudinem vocis, dent operam cantui ecclesiastico addiscendo, non autem cantui figurato. Diaconi vero et sacerdotes omnino ab hoc studio abstineant, ut doctrinae et praedicationi sive addiscendae, sive exercendae operam praestent.

2. Cum acceperit quis postrema sacramenta in fine vitae, suffragetur ab omnibus sacerdotibus, qui domo sunt, sacrificio Missae usque dum periculum durat mortis, a ceteris autem sacra communionem aut tertia parte rosarii B. Virginis Mariae. Post mortem autem unusquisque sacerdos Missam applicet pro defuncto, reliqui vero communionem offerant aut rosarium integrum.

9918 PARS QUARTA. *De progressu [et gradibus].*

Cap. I. *De profectu sui ipsius.*

1. Medium est oratio.

Praeter quotidianas communes, nec non debitas, quae in officio divino et Missa potissime continentur, quod attente ac devote cum divina gratia fieri potest, persolutas orationes:

Meditatio quotidie mane ante Missam per horae dimidium fiet.

Lectio item spiritualis post prandium ad horae tertiam partem.

Examen triplex, scilicet, ut primo mens vigilat a somno, ad meridiem, et ante cubitum.

Concio, tum quae publice fit in nostris ecclesiis, tum quae domi ad fervorem excitandum.

Exercitia spiritualia per octo aut decem dies quotannis.

Confessio sacramentalis octavo quoque die apud communem Confessarium peragenda.

Ratio sui exhibenda Superioribus, sive in confessione sacramentali, sive extra, quod libuerit.

Denuntiatio ex caritate facienda Superiori sive defectuum, sive tentationum, quae gravia sint, et nota extra confessionem.

2. Alterum medium est, studiosum exercitium.

Purgandi vitia et defectus, et inserendi contrarias virtutes.

Augendi et perficiendi infusas, theologales et morales.

Adimplendi virtutes religiosas, nimirum obedientiam, castitatem, paupertatem.

Abnegandi inclinationes carnis, sensuum, amoris proprii et mundani.

Perfecta observantia omnium praeceptorum, quae divina sunt et humana, ecclesiastica et civilia, tum officiorum, quae ad statum sacerdotalem pertinent, quaeque religio superimponit, sive quod ad regulam spectat, sive quod ad omnia munia proprii Instituti.

Fuga otii omnimoda, et

Occupatio assidua in rebus, quae ad ecclesiasticum ministerium, ad religiosa officia, aut ad observantiam disciplinae et obedientiam superioribus debitam pertinere videantur.

9919 Caput II. De profectu in ecclesiasticis doctrinis.

1. In hac religiosa clericali sodalitate, cujus finis est non solum contemplari, sed etiam contemplata aliis tradere, necessaria est non vulgaris scientia, sed perfecta rerum omnium, quae ad fidem et mores pertinent; ac proinde necessarium est etiam, ut religiosi clerici huiusmodi scientiae perfecte acquirendae in tali statu religioso incumbant.

2. Ut igitur possint aliorum mentes illuminare, qui in tenebris versantur, aut haeresibus resistere ingruentibus, aut rationem ejus, quae in nobis est fidei reddere,

aut morales difficultates occurrentes dissolvere et omnibus satisfacere; in utraque Theologica doctrina, positiva et scholastica: speculativa et morali satis instructus quisque sit necesse erit.

9920 Cap. III. De serie Disciplinarum.

1. Cum dicat Apostolus, *1 Cor. 2,2*, Non enim judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum, Christus autem de seipso dixerit, *Apoc. 1,8*, Ego sum alfa et omega, Principium et Finis; hinc omnes prorsus ab addiscenda doctrina christiana, etiam memoriter, ubi fieri potest, prout expositam ad captum omnium habemus a Card. Bellarmino, incipiant. Qui vero studiis operam dabunt, postmodum huc revertentur, ut addiscant et conquiescant in Catechismo Romano.

2. Studeant S. Scripturae universae, textualiter primo, postea cum suis commentatoribus catholicis.

3. SS. Patribus, graecis et latinis, praesertim SS. Doctoribus.

S. Liturgiae, cum suis commentatoribus.

Conciliis, generalibus, provincialibus, particularibus, praecipue suae dioecesis, in qua erunt.

Decretis universalibus et particularibus Summorum Pontificum et Episcoporum, praesertim dioecesis in qua morantur.

Jurisprudentiae ecclesiasticae, universae et speciali, tum civili similiter aliquantisper.

Scholasticae Theologiae, praecipue S. Thomae.

Dogmaticae, praesertim Petavii.

Controversiis antiquis et novis maxime c. Bellarmini.

Theologiae Morali, praecipue S. Liguorii, casisticae, mysticae, theoriae et practicae.

9921 Caput IV. De iis, quae Theologiam juvare et ornare possunt.

1. Studeant etiam diligenter Historiae ecclesiasticae et civili, tum eruditioni alicui locorum, praecipue ubi sunt.

Philosophiae, metaphisicae, phisicae, mathematicae,

Historiae naturali et litterariae, aliquid delibantes in medicina et ceteris artibus liberalibus et mechanicis, agriculturae, graphicae, architecturae, calligraphiae, orthographiae, etc.

Humanioribus litteris et linguae latinae, graecae, hebraicae et vulgari.

2. Demum Concionariae et Catechisticae Sacrae.

9922 Cap. V. De [methodo] Studiorum distributione.

1. Haec dicta sunt de toto corpore, seu confusae de operariis Sodalitatis. Nam absolute loquendo dicere possumus necessariam esse Sodalitati perfectionem omnium dictarum disciplinarum et linguarum: quia licet difficile, vel moraliter impossibile sit omnes illas simul cum theologica doctrina in singulis personis perfecte conjungi, tamen in ipso corpore Sodalitatis esse potest et procuranda est excellentia in omnibus.

2. In unaquaque igitur disciplina aliquis, vel aliqui sint, qui peculiari studio et diuturniori tempore ac diligentia illi incumbat, et ad varia ecclesiae obsequia, quae pro temporum et occasionum diversitate occurrunt utilissima erunt.

3. Quamvis autem haec studia in Sodalitate principaliter ad Theologiam referantur, ad quam et ad sacrae Scripturae intelligentiam ejus religiosi frequentius et principaliter tendunt; nihilominus interdum aliqui diutius in his inferioribus artibus occupantur, ut in eis singulariter ad praedictos fines excellent.

9923 Cap. VI. De mediis, quibus studia promoveantur.

1. Peculiaris cura et ratio habeatur eorum, qui studiis dicantur, tum ne sanitas laedatur, tum ut commoditas necessaria non desit. Itaque in victu et vestium decentia, et honesta ac necessaria recreatione superior ita vigilet, ut omni harum rerum cura et sollicitudine liberi [sint, et aliis oneribus expediti], facilius ferre possint studiorum laborem, religiosa moderatione contenti.

2. In unaquaque domo sit bibliotheca communis, amplior quidem pro necessitate vel qualitate studiorum.

3. Quisque studens libros habeat, qui necessarii sunt.

4. Satagendum Superiori erit, ut temporibus ad valetudinem corporis incommodis, non studeant: somno etiam, quantum temporis satis erit, tribuant, et in laboribus mentis modum servent, ut diutius perseverare in litteris addiscendis et exercendis in ecclesiae obsequium possint.

5. Providendum etiam, ut studentibus tollantur impedimenta exteriorum occupationum et laborum, tam in domesticis officiis, quam in aliis ministeriis, ut diuturnius studiis vacare liceat.

6. Ad hunc finem constituantur fratres, qui temporalibus inserviant, in unaquaque domo necessarii, ut studentes ab his muneribus subleventur.

7. Custodiant omnes morum probitatem, et rectam intentionem divinae glorioae et fructus animarum: nam "sine pura mente et sanctorum imitatione nemo comprehenderit Sanctorum verba", ait Athanasius (de Incarnatione ad finem); et crebro orent Deum, ut scientiam debitam illis largiatur, qui scientiarum Dominus est, *1 Reg. 2,3*.

8. Superiorum item erit providere ne fervore studiorum, pietatis amor tepescat; et ne per nimium pietatis excessum studia debita impediantur.

9. Cathedrae etiam theologiae, interdum etiam philosophiae, si offerantur, praesertim in Seminariis, sine contradictione aut disceptatione, aut oppositione, et gratis doceantur, admitti possunt, de licentia expressa Superioris.

10. Gradu etiam in universitate accipi possunt, dummodo fiat sine laesione aut paupertatis aut humilitatis religiosae.

9924 PARS QUINTA. De alumnorum sodalitatibus promotione.

Caput I. De promovendis ad sacerdotale officium.

1. Non induantur clericali habitu, nisi post absolutum gymnasium.
2. Audiant praeceptores usque ad annum vigesimum quintum, minoribus ordinibus insigniti.
3. applicantur studiis earum scientiarum et artium quae apud nos coluntur, et in quibus potissimum eorum valet ingenium, usque ad annum tricesimum. Interea sacris et sacerdotio initiantur.
4. Non omittentes aliquod studium eorum, in quibus magis proficiunt, aut quae magis necessaria sunt, paulatim se exercent in concionibus in propriis ecclesiis, in catechizandis pueris et rudibus, in audiendis confessionibus puerorum et adolescentum.
5. Deinde in excipiendis confessionibus virorum quorumcumque, et concionibus habendis in ecclesiis civitatis in qua versantur, in tradendis exercitiis, etc.
6. Dentur veluti auxilii quodammodo Missionariis, et quandoque etiam feminarum confessiones audiant.
7. Hinc etiam mulierum confessiones excipiant, et Missionibus inserviant ordinarie.
8. Denique munus Missionum dirigendarum accipiant, et saluti animarum omnino insistant.

9925 Caput II. De promotione aliorum.

1. Horum duplex est genus. Nam alii clericali vita initiantur, deinde superveniente aliquo impedimento, quod domesticam disciplinam non turbet, puta infirmitatis, aut simile, nec aedificationem proximi, sive domi, sive foris, non auferat cum profectu sui ipsius, puta ingenii aut memoriae, quae hebetentur, et quibus doctrinae superiores et gradus incapaces reddantur; consistent in ordine et munere seu gradu suscepto: quod Superioris erit prudentiae. In quibus vero utiles erunt et apti huiusmodi homines, in his inservient domino et ad communem scopum attingendum alios juvabunt.
2. Alii vero sunt, qui clericales ordines non suscipiunt, sed in temporalibus praecipue domum et sacerdotes adjuvant. Hi autem rite christiana doctrina imbuti

alicui sive arti, quam callent, sive operi incumbunt, servientes Domino in simplicitate cordis, et virtutibus proximum aedificantes.

9926 Caput III. De gradu seu officiis inservientium in temporalibus.

1. Officia horum sunt: Aedituus, Ostiarius, Hortulanus, Coquus, Vestiarii custos, pannorum lotor, Villaris, Cellarius, Fabricator, Promus, Scriba, Sutor etc.

2. His praeficiuntur sacerdotes in inferiori gradu constituti, ut aedituo Sacrista, hortulano et villari rei rusticae et hortorum Praefectus, ostiario, coquo, lotori, sutori, promo, cellario, Oeconomus, fabricatori Architectus, Scribae Procurator.

3. Singuli vero in officiis traditis possunt quandoque habere ministros, qui eis in omnibus ad officium pertinentibus parebunt, tamquam Superiori.

4. Singulis autem possunt plura etiam officia pro rerum natura aut necessitatis committi.

9927 PARS SEXTA. De votis, quae emittuntur in Sodalitate.

Caput I. De votis privatim factis tempore Probationis.

1. Vota privatim facta, tempore Probationis, a Sodalitate non admittuntur; et ideo nihil illam obligant, sed libere potest hujusmodi novitium dimittere; quo casu talia vota cessabunt, nisi alia fuisset intentio voventis expressa.

2. Quoniam vero juvenes facile possunt ex fervore indiscreto talia vota emittere, illa fieri non permittantur, nisi cum magna consideratione et consultatione, ac servata debita forma et subordinatione ad Superiore. Hujusmodi autem vota potius sint ad tempus, quam sine temporis limitatione.

9928 Caput II. De Votis sodalitatibus.

1. Nemo vota cum solemnitate emittit, nisi qui gradum Missionarii Apostolici in hac Sodalitate, et juxta scopum ejus mereatur.

2. Ceteri collaboratores vota simplicia tantum in Sodalitate coram superiore emittunt, post convenientem Probationem, ut ex jure communi et regula particulari hujus Instituti.

3. Haec vota simplicia sunt perpetua, quantum ad intentionem et obligationem personae voventis; quamvis ex legitima causa liberum sit Sodalitati, quae sub ea conditione illa recipit, hujusmodi vota irritare, aut cassare.

4. Similiter his votis non tollitur omnino proprietas bonorum temporalium, aut impeditur acquisitio omnium, ut ex successione, donatione, legato, et similibus; sed tantum usus et administratio, quae subordinatur voluntati Superioris.

5. Qui studiis tradendi vota simplicia publice emittunt post Novitium, promittunt etiam Divinae Majestati, et quidem publice se perfectiorem aut

stabiliozem Sodalitatis gradum recepturos, qui eis injunctus fuerit a Superioribus post experientia et sufficientem probationem.

9929 PARS SEPTIMA. De Votorum eorundem observantia.

Sectio I. De paupertatis modo.

Caput I. De modo Paupertatis respectu ad Communitatem.

1. Qui simplicia vota emittunt in hac Sodalitate, quamvis proprietatem rerum retinere possint, non tamen nisi conscio et approbante superiore, parati ad renuntiationem seu abdicationem quarumvis rerum, ad praescriptum Superioris, nec novum dominium acquirere eis licet, nisi autoritas, vel voluntas Superioris accedat.

2. Victus et vestitus et lecti ratio, omnisque religiosa suppellex ea demum sit, in qua nihil superflui admittatur, etsi, quod naturae necessarium est, nihil desit.

3. In ecclesiis nostris nec funera, nec funeralia stipendia, nec capellaniae, nec anniversaria, nec similia habeantur.

4. Non erit etiam in ecclesiis ulla arcula, seu capsula, aut sacculus ad eleemosynas excipiendas.

5. Omnes communem habeant victum et vestes et cubile et libros. Nec quod ad usum conceditur, non nisi precario habeant, et parati sint in communem utilitatem reddere, ad nutum Superioris, omnia omnino quibus utuntur.

6. Nulli conceditur perpetuus usus librorum, aut quos secum libere deferat, quocumque ipse transferatur.

9930 Caput II. De modo Paupertatis respectu ad singulos.

1. Nemo aliqua re utatur tamquam propria.

2. Nullus privatim possideat, in cella, vel sub sua custodia, et ad liberum usum, aliquid eorum; quae ad corporis sustentationem pertinent, quaeque ad cibum et potum reducuntur.

3. Si quidpiam hujusmodi alicui religioso mittatur, admittendum non est in ejus peculiarem possessionem vel usum, sed in communem usum accipiatur et dispensetur.

4. Nemo teneat ostium cellae, vel arcam clavi obseratam praeter Superioris ordinationem.

5. In vestibus etiam, sive ceteris tegumentis, aliisque, quae ad cubandum inserviunt, praeter ea, quae ad actualem usum corporis necessaria sunt, nihil aliud quisque apud se habet, sed omnia in communi reposita sint apotheca.

6. Libros nemo habeat sine facultate Superioris, aut in eis inscribet aliquid, vel notabit.

7. Nemo aliquid veluti in compensationem ejus ministerii spiritualis, sive pii

officii, quod Sodalitas gratis exhibet proximis, accipiat.

8. Nemo poterit mutuo dare vel accipere vel dispensare quidpiam de his, quae domi sunt, sine consensu Superioris.

9. Unusquisque, ut contentus esse debet [oportet] his, quae de communi ei distribuuntur, ita paratus esse debet viliora etiam et magis abjecta accipere ad sui majorem abnegationem.

9931 Sectio II. De Castitatis modo.

Caput I. De castitatis modo et fine in communi.

1. Sit clausura quod ad feminas.

2. Nemo exeat domo, nisi de licentia Superioris, et cum socio et illo assignando.

3. Domum regressi, si quid erit notandum, quod socius egerit, aut intervenerit, referent invicem Superiori; si quid insuper notabile sit circa audita ab aliis externis, aut conspecta in itinere similiter referent.

4. Cum femina namo colloquatur, aut ejusdem confessionem excipiat, nisi ostio aperto, et iis praesentibus, qui conspiciere possint, si non liceat audire.

5. Unusquisque autem ad eam castitatis perfectionem omni conatu tendat, quae illos deceat, quorum officium angelicum est, seu qui sint Christi D. N. paranymphe, imo quorum animam uni viro desponsatam, ut ait Apostolus, Virginem castam, seu mente et corpore sanctam, exhiberi decet Christo, *2 Cor. 11,2*.

9932 Caput II. De mediis ad castitatem in particulari.

1. Frequens omnibus sit orationis et meditationis exercitium, quod sive communis regula, sive Superiorum jussum cuique assignabit.

2. Ut inferiores a suis Superioribus efficaciter et suaviter juventur ad superandas difficultates omnes, et pericula, quae in castitate servanda occurrere solent, quisque vel Superiori, vel confessario, vel alteri, cui spiritualis religiosorum cura demandata sit, nihil in hoc genere occultet, sed tentationes omnes et pericula manifestet. Qui pariter tentationem gravem, aut periculum sodalis cujusque extra confessionem noverit, Superiori secreto manifestare tenebitur.

3. Unusquisque eam carnis macerationem per abstinentiam cibi et potus praecipue assumet, quae illi conveniat ad Superiorum vel confessarii iudicium.

4. Otium prorsus et perpetuo ab omnibus et singulis effugiatur. Corporalis etiam labor, seu aliquod exterius membrorum exercitium unicuique a Superiore taxabitur, quod magis honestum et expediens sit.

5. Mulierum congressiones et visitationes, tum colloctiones, sive quae in praesentia ore fiunt, sive quae in absentia per litteras fugiendae. In necessitate

vero, aut cum spe magni fructus, nisi viris valde probatis, aut prudentibus Superiore non concedantur.

6. Quaevis etiam nimia familiaritas, et singularis atque humana amicitia, inter juvenes praesertim, caveatur.

7. Nemo itaque, sine Superioris licentia, alterius cubiculum intret; et cum intraverit de Superioris licentia, janua sit aperta, dum colloquuntur.

8. Nemo alterum, etsi per jocum, tangat.

9. Magna etiam cura ab omnibus adhibeatur, ut cum debita frequentia et dispositione ad Sacramentum Confessionis et Eucharistiae accedant.

10. Modestia item, quae in oculorum praesertim, aurium et linguae, et aliorum sensuum observantia, et custodia cernitur, et quae reliquo corporis gestu, sive habitu continetur, maxime cunctis necessaria est, tum ad morum puritatem conservandam, tum ad aedificationem aliorum promovendam.

9933 Sectio III. De quadruplici modestia, ut est adjumentum velornamentum Castitatis.

Caput I. De Humilitate.

1. Modestiam itaque colant in omnibus ita ut cunctis, qui domi et foris sunt, appareat ad laudem Dei.

2. Et primo quidem per humilitatem omnem motum animi moderentur, qui est ad aliquam excellentiam.

3. In assecutione hujus virtutis exercent se per gradus illos duodecim, quos D. Benedictus posuit in Regula (Caput 7), scilicet:

1 - corde et corpore semper humilitatem ostendere, defixis in terram oculis,

2 - ut pauca verba et rationabilia loquatur aliquis, non clamosa voce,

3 - ut non sit facilis aut promptus in risum,

4 - taciturnitas usque ad interrogationem,

5 - tenere quod habet communis monasterii regula,

6 - credere et pronuntiare se omnibus viliolem,

7 - ad omnia indignum se confiteri et credere,

8 - confessio peccatorum,

9 - per obedientiam in duris et asperis patientiam amplecti,

10 - ut cum obedientia se subdat majori,

11 - ut voluntatem propriam non delectetur implere,

12 - ut Deum timeat, et memor sit omnium, quae praecepit.

9934 Caput II. De Studiositate.

1. Moderentur omnes desiderium eorum, quae sunt ad cognitionem. Quod fit

per Studiositatem contra vitium Curiositatis.

2. Appetitum itaque cognoscendi quisque refraenet juxta Apostolicam sententiam: non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem, *Rom. 12,3*. "Quae officii sunt, ait Basilius, studiose discat et persequatur, neque curiose ulterius quidquam inquirat". *4 Reg. 235) Regulae brevius tractatae, t. 2, 494 E*.

3. Fugiant omnino nociva primum, einde inutilia et impertinentia, quae maxime necessaria impediunt scire, juxta ejusdem Apostoli verba: Qui vult inter vos sapiens esse, stultus fiat, *1 Cor. 3,18*.

4. In iis vero, quae necessario, sive utiliter addiscenda erunt, contra laborem, vel negligentiam, vel toedium addiscendi, per vehementiam intentionis ad scientiam hujusmodi rerum percipiendam, alacriter et constanter insurgent propter Dei Gloriam, et Ecclesiae majus obsequium.

5. Servent etiam in studiis tempus praescriptum, ut nec ante, nec post illud, quasi furtive, studeant, vel legant, vel scribant, vel meditentur: locum item et modum et ceteras circumstantias debitas in studendo exhibeant, ad normam obedientiae.

6. Ordinem etiam illum custodiant, ut nec scientiam spiritualibus exercitiis orationis et meditationis et lectionis et examinis debiti et similium anteponat, imo nec religiosae disciplinae aut superiorum ordinationibus praeferant omnino; parati, ne dum statim abrumpere, sed ex toto etiam, ad mutum Superiorum, coepta relinquere, secundum illud *Psalmi 118,66*: Bonitatem et disciplinam et scientiam doce me.

9935 **Caput III. De moderatione sensuum et actuum corporis.**

1. Moderentur tertio id omne, quod pertinet ad corporales motus et actiones, ut scilicet decenter et honeste fiant, tam in his quae serio, quam in his quae recreationis causa aguntur.

2. Gressus ille est probabilis, juxta Ambrosium, *1 De Officiis, 18,75 t. 2,21 C*, in quo sit gravitatis pondus, tranquillitatis vestigium, ita tamen si studium desit, atque affectatio, sed motus sit purus et simplex.

3. Similiter, sicut molliculum aut infractum vocis sonum, aut gestum non probat Ambrosius, ita nec agrestem aut rusticum, *ibi, 19, 84 pag. 24 A*.

4. Motuum exteriorum ordinatio attenditur non solum secundum convenientiam personae agentis, sed etiam secundum decentiam ad externas res, personas, negotia seu loca; juxta illud elogium in Scripturis sacris, quo Sancti laudantur a Spiritu Sancto, tamquam "pulchritudinis studium habentes", *Eccli. 44,6*. Hoc est autem pulchritudinem vivendi tenere, convenientia cuique reddere: unde S. Augustinus in Regula, ait: "In omnibus motibus vestris nihil fiat, quod cujusquam offendat aspectum, sed quod vestram deceat sanctitatem". *Ep.109 t. 2 alias Ep. 211,10 t. 2,784 F*.

5. Unusquisque consuetis et justis recreationibus communibus intersit, in quibus sicut per importunam asperitatem aut nimiam severitatem et morositatem honesta aliorum remissio animi seu quies non est turbanda aut impedienda, ita per religiosam modestiam cavenda est in verbis et factis jocosus omnis saecularis petulantia, ne harmonia, seu concentus bonorum operum et virtutum aliquo modo dissolvatur.

9936 **Caput IV. De moderatione exterioris apparatus in usum vitae necessarii.**

1. Quarto demum moderetur id omne, quod ad exteriorem apparatus pertinet, puta in vestibus et huiusmodi ita ut quod idem religioso homini concedit et relinquit in usum paupertatis regularis, modestia hoc ipsum reliquum ad omnem decorem et honestatem concinnet in gloriam Dei et proximi aedificationem.

2. Decor non sit affectatus, sed naturalis, simplex, neglectus magis quam expeditus, et communibus, et, quae paupertatem religiosam oleant, sive vestibus, sive reliquo apparatu ita adjutus, ut honestati vel necessitati nihil desit, nihil accedat nitenti, ut ait Ambrosius. *1 De Officiis 19,83 t. 2,23 E.*

3. Exterior itaque cultus sit humilis, ut excludat intentionem gloriae, nec superabundet in sumptibus et praeparationibus: per se sufficiens, ut excludat intentionem deliciarum: simplex denique, qui excludat superfluum sollicitudinem talium.

4. Fugienda tamen est ea negligentia, quae non adhibet studium vel laborem ad hoc quod exteriori cultu utatur, secundum quod oportet; et omnino vitent omnes eam, quae etiam in ipsis sordibus luctuosus esse potest jactantia, et eo periculosior, quod sub nomine servitutis Dei decipit, ut ait S. Augustinus. *2. De serm. Domini 12,41 t. 3/2,216 E.*

5. Vestis simplex sit et honesta, quae paupertatem redoleat simul et deceat tum ministeriis, tum hominibus, quibuscumque versamur, et munda nec lacera.

9937 **Sectio IV. De obedientiae modo.**

Cap. I. De obedientia generaliter.

1. Regulae et ordinationes quaecumque in hac Sodalitate non obligant ad aliquam culpam, sive mortalem, sive venialem. Similiter jussio simplex Superioris non censetur obligationem ad culpam includere, nisi addat, "in virtute obedientiae" vel quid simile.

2. Omnes obediant Praelato etiam inferiori, et cuicumque subest in officio, et ei, qui a praelatis facultatem praecipendi habent, sicut Christo.

3. Curent, ut nedum facto obediant, sed et voluntatem Superioris ordinationi et mentem ipsam conforment.

4. Obedientia sit in omnibus, quae contra Dei praecepta, aut ecclesiae, aut regulas hujus instituti non sit, integra, prompta, fortis et humilis cum perfecta abnegatione voluntatis et iudicii proprii.

9938 Caput II. De obedientia gradibus speciatim.

1. Primo in executione, seu actu obedientiae, curent omnes ut integre illa exhibeatur, et non ex parte, non tantum in rebus obligatoriis, quod debitum est, sed etiam, ad cumulum perfectionis, in aliis honestis quibuscumque. Illa enim perfecta obedientia est, quae universalis, et nihil excipit, nisi quod displicet Deo: promptior item erit, quanto expressum praeceptum obediendo praevenit, voluntate tamen Superioris intellecta.

2. Celeritas quoque in actu obedientiae maxime appareat, ut nemo cunctabundus accedat ad exequenda mandata aut lentescens: et caelestes spiritus in terra aemulantes, omni saeposita mora et cunctis, quibus inhaeserint relictis, festinent et advolent ad faciendam voluntatem Domini sui, ut primo vocantis praeceptum vel signum innotuerit; perfecta enim obedientia sine imperfecta relinquit.

3. Humilis etiam erit obedientiae actus, si nulla ante executionem adhibeatur excusatio. Quod si vera ratio impediens interveniat, vel saltem talis existimetur, aut de ea probabiliter dubitetur, haec Superiori humiliter indicanda erit, eaque illi disceptanda relinquatur.

4. Denique fortis sit obedientia, idest constans et cum debita perseverantia, ut in nulla re aut tempore desit, quamvis difficilis et naturae repugnans sit.

5. Secundo autem, quantum ad affectum voluntatis in obediendo, pura esse debet imprimis et formalis intentio obedientiae propter praecepti observationem, et propter voluntatem Superioris implendam, vel altius propter voluntatem Dei, quae in illa et per illam applicatur.

6. Voluntaria item sit obedientia ita ut libentissime et diligentissime obtemperet subditus, "Praepositum Monasterii, ut ait Hieronymus, *Ep. 125 ad Rusticum c. 15 t. 1,937 A*, timens ut Dominum, diligens ut Patrem".

7. Demum sit obedientia cum hilaritate et spirituali gaudio, eaque fiat constanti et perseveranti animo et cum omni spiritus humilitate.

8. Tertio quantum ad intellectum, curent omnes et satagant, ut obedientia sit omnino simplex, ut non respiciat Superiorem ut hominem, sed ut Deum: et praeceptum ejus non ut humanum, sed ut divinum recipiat.

9. Jussionis rationes non exposcant, non discutiant, non scrutentur, quando libera sunt a peccato, quae jussa sunt: nec de majoris sententia quisque judicet, cujus officium est obedire et implere, quae praecipuntur, dicente Moyses: "Audi Israel et tace": et haec omnis sapientia sit, ut in hac parte nulla ejus sit, dicente Apostolo: Qui mvult sapiens esse, stultus fiat, *1 Cor. 3,18*.

10. Assuescat unusquisque se consilio et iudicio Superiorum regi, illud Patrum monitum apud Cassianum, (*Coll. 2 c. 11*) sollicite retinens, quod "nullo alio vitio tam praecipitem diabolus monachum pertrahit, ac perducit ad mortem, quam cum, neglectis consiliis seniorum, suo iudicio persuaserit, definitionique confidere.

9939 PARS OCTAVA. *De Studentium promotione.*

Caput I. *De reliqua post completa studia Probatione.*

1. Completis studiis, ut, si quid virtutis fervor per litterarum occupationem in-
teperit, recalescat, studentes adhuc per annum probabuntur tum in devotionis et
humilitatis exercitiis, tum in ministeriis

Sodalitatis.

2. Haec probatio fieri potest vel, propter exiguum numerum, in eodem loco No-
vitiarum, vel in domo separata, amicorum et consanguineorum consuetudine semo-
ta sive coram sive per litteras.

3. Si numerus sufficiet in eadem domo sub instructore uno conveniunt, qui
auctoritate et regendi etiam experientia valeat.

9940 Caput II. *De ratione hujus Probationis.*

1. Instructor vero illos omnes in spiritu formandos curabit, universamque nostri
instituti rationem explanabit per statos aliquot dies cujusque hebdomadae, ac mo-
dos exponet juvandi proximos salutariter.

2. Poterit etiam idem institutor poenitentias et mortificationes, inter ipsos tamen
privatim, injungere, quas ad eorum profectum conducere iudicabit. Quidquid ta-
men ad externam disciplinam spectat, non nisi consulto Superiore domus, cujus for-
tasse separata eorum habitatio pars aliqua fuerit.

3. Quod si eorum quisquam minus in probando satisfecerit, educendus erit, et in
tempus aliud differendus.

9941 PARS NONA. *De Professorum gradu.*

Caput I. *De Professione.*

1. Ad professionem non admittuntur nisi sacerdotes, quia ad professos pertinet
principale regimen sodalitatis, et graviora ministeria, quae sacerdotium requirunt.

2. Postulatur item eruditio non mediocris in litteris, et in vita et moribus
conspicuis et in affectuum moderatione magna probatio.

3. Quando et a quibus facienda sit Professio, iudicium erit penes Sodalitatis
Superiorem.

9942 Caput II. Media quibus hoc Institutum salutem promovet proximorum.

1. Assumptio status clericalis, et omnis dispositio ad illum cum perfectione assumendum.
2. Sacramentorum administratio, praecipue Confessionis et Eucharistiae: sacrificiis etiam fructum missionum et concionum et confessionum a Deo imploratio.
3. Verbi Dei quodcumque ministerium:
 - 1- publice concionando, vel instruendo populum, catechismis tum publicis, tum privatis,
 - 2- colloquiis piis et sanctis conversationibus, nunc vitia fraterne corrigendo, nunc ad virtutum exercitium et Sacramentorum frequentiam hortando,
 - 3- nunc ad perfectionem instruendo et excitando,
 - 4- spiritualium exercitiorum usus,
 - 5- congregationum promotio,
 - 6- infirmorum et maxime morientium devota cura.
4. Clericorum institutionem et disciplinam adjuvando, tum in Seminariis, tum in parochiis et domi per publicas lectiones, vel privatas collationes, eorum studia et pietatem promovendo.

9943 Caput III. De puerorum et juventutis institutione.

1. Institutio christiana puerorum et juvenum, aliarumve rudium personarum, oratoriis, catechesibus, privatis etiam instructionibus, pro virili promoveatur a nostris.
2. Ubi fieri potest litteris etiam instrui a nobis juventutem decet. In quo servanda est regula ex brevioribus S. Basilii: *Interrogatio 292, t. 2, 518 A*: Cum Apostolus dixerit: "Patres nolite ad iracundiam provocare filios vestros, sed educate illos in disciplina et correctione Domini", *Eph. 6,4*, si qui eos adducunt, hac mente adducunt, et, qui suscipiunt tales sunt, qui planissime confidant posse se, qui sibi adducuntur, in disciplina et correctione Domini educare: servent quod praeceptum est a domino, qui dixit: "Sinite parvulos venire ad me, talium est enim regnum coelorum, *Matth. 19,14*; remoto autem hujusmodi proposito ac spe, hoc neque Deo gratum, neque ex decore aut ex utilitate nostra esse existimo.
3. Etsi doctrina pueri imbuendi suscipiantur, praecipue tamen honestas morum in hac institutione quaerenda et intendenda est.

9944 Caput IV. De mediis ad honestatem morum servandam et augendam in pueris.

1. Quoniam conscientia pura sedes est sapientiae, scholares saltem singulis

mensibus confiteantur peccata.

2. Quotidie Missam audiant.

3. Curandum est maxime, ut in iis, quae ad christianam doctrinam pertinent, bene instituantur. Semel in hebdomada praelegatur Doctrina Christiana, quam etiam addiscant et recitent.

4. Singulis etiam hebdomadis aliqua exhortatio fiat, per quam omnes ad augmentum virtutis excitentur.

5. Praeceptores etiam inter legendum, cum se occasio obtulerit, ad obsequium et amorem Dei et virtutum discipulos moveant.

6. Initio scholarum, seu lectionum publice oratio praemittatur. Docendi autem sunt pueri, ut in ea brevi oratione duo efficiant. Unum est, ut omnia sua studia et in particulari tempus illud et actionem in Deum referant. Aliud est, ut assuescant a Deo postulare gratiam ad proficiendum in studiis. Quod ad omnes alias vitae actiones illis valde utile esse poterit.

7. Libri omnes casti et pii praelegantur, aut omnino purgati. Nec a discipulis alios haberi, aut legi permittatur.

9945 *Caput V. De mediis ad profectum litterarium juventutis.*

1. Quaerenda imprimis est in Magistris sufficientia, ac diligentia, ut non solum docti sed assidui et studiosi sint profectus juventutis in omnibus litterariis exercitiis.

2. Ordo, seu methodus servetur tum in doctrina tradenda, tum in omnibus litterariis exercitiis, et praelectionum recognitione; et in adhibenda diligentia ut scholares privatim studeant, vel aliquid componendo, vel repetendo, aut conferendo ea quae audierunt.

3. Libri ad praelegendum eligantur, non solum qui fidei et moribus periculum aliquod afferre nullo modo possint, sed etiam qui ad Studentium utilitatem magis fuerint accommodati.

4. Correctio sufficiens non desit pro qualitate et capacitate scholarum: si tamen corporalis poena sit adhibenda, propter religiosam decentiam, non per ipsos praeceptores, sed per parentes pueri, vel correctorem aliquem deputatum ad id muneris, executioni mandanda est.

5. Si correctio non sufficiat, et periculum sit ut puer aliis noceat, cum ipse parum proficiat, expellendus est ab studio is qui incorrigibilis est.

6. Praemia item, sive munuscula quaedam externis scholaribus proponi et dari utilimum est, ad excitandum studiorum ferevorem: modus autem in iis servetur honestus et religiosus.

7. Quoniam vero honor alit artes, Cic. *Tusc. 1,2*, et corporalia praemia non semper possunt ad manus haberi; ideo hoc genere praemii pro captu actionum et

personarum utantur praeceptores, consignatis aliquibus locis aut signis honoris, quibus puerorum aemulatio et major diligentia excitetur.

9946 Caput VI. De munere Professorum Sodalitatis.

1. Eorum munus est docere, non solum in concionibus, exercitiis, lectionibus, quae ad vitam aeternam consequendam necessaria vel utilia sunt, sed etiam rudimenta fidei et morum, praesertim rudibus et pueris explanare in oratoriis, in catechismis publicis et privatis, hoc etiam maxime ecclesiae utile est, et ideo maxime etiam iis commendatum sit.

2. Confessiones omnium et praesertim pauperum et puerorum excipere, et ad Sacramentorum debitam frequentiam inducere.

3. Dum aliquo mittuntur, vel alicubi residere jubentur, nemo, nec pro itinere, nec pro statione, provisionem ullam expectent sive ab Episcopis, sive a Parochis, sive a Superioribus, sed liberaliter se offerant omnino praestent.

9947 Caput VII. De praecipuo scopo Sodalium Professorum.

1. Cum ejusdem Sodalitatis scopus sit, Ecclesiae sub Episcoporum directione obsequium praestare per varia e propria suae vocationis munera; haec autem quandoque ardua et difficilis res sit, et, si ad fragilitatem hominum comparetur, quibusdam forte periculis exposita esse videatur; non tamen, propterea imprudens aut temerarium est propositum devotionis nostrae.

Primo quidem, quia non humanis viribus sed Spiritus Sancti gratia implendum creditur; qui enim coepit et inspiravit illud, ipse perficit, si per nos non steterit, *Philipp. 1,6*: nam haec est specialis gratia hujus vocationis, quae potentior est omnibus periculis et difficultatibus.

Deinde per hanc intentionem non proponimus nos periculis exponere, nec hunc vel illum locum adire, aut has vel illas actiones exercere; sed directionem sequi orthodoxi Episcopi, quem Spiritus Sanctus posuit regere ecclesiam Dei, *Act. 20,28*: quod medium satis cautum est ad non errandum in via Dei.

Accedit tandem religionis providentia, tum in disponendis et probandis personis, tum etiam in eis eligendis et omni ope sufficiendis et confirmandis.

2. Nullus praeterea in hanc, vel illam partem se mitti procuret, sed se moveri sinat, quamvis se etiam paratum ostendere malum non sit. Nam et Isaias se obtulit, *Isai. 6,6 sqq.* et Hieremias se excusat, *Hier. 1,6*: sed nec Hieremias resistit Deo mittenti, nec Isaias ire contendit prius, quam se per altaris calculum purgatum vidit. Ne aut non purgatus, ait Gregorius, *l. 6 ep. 5 c. 169, t. 2,615/1 D*, adire quisquam sacra ministeria auderet, aut quem superna gratia eligit, sub humilitatis specie superbe contradicat.

9948 PARS X. De unitate, seu unione Sodalitatis.

Proëmium: De Concordia Sodalium.

1. Omnes ut spiritus vocationis scopum et tesseram habeant illud Christi Domini verbum: In hoc cognoscent omnes quod discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem, *Jo. 13,35*.

2. Si autem ad omnes dilectio caritatis habenda est, praecipue ad domesticos fidei, *Gal. 6,10*, dicente Apostolo: Qui autem suorum et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit et est infideli deterior, *1 Tim. 5,8*.

3. Unusquisque autem veluti hujus concordiae normam prae oculis habeat, quae de illis primis fidelibus leguntur in Actis Apostolorum, *Act. 3 et 4*, unde omnis religiosorum ordo sumpsit initium et formam: "quorum erat cor unum et anima una, qui habebant omnia communia, *4,32*, et dividebant singulis, prout unicuique opus erat: et ideo et sumebant cibum cum exultatione, et simplicitate cordis, collaudantes Deum, et habentes gratiam ad omnem plebem, *2,45 sqq.* gratia magna erat in omnibus illis", *4,33*.

4. Singuli hanc unionem et concordiam maxime sectentur, et quae contraria huic sunt omnia, dissensiones, discordias omnino abhorreant, et summo studio evitent, considerantes illud *Ps. 132,1*: Quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum.

9949 SECTIO I. De mediis negativis.

Caput I. De non laedendis Sodalibus.

1. Cum dicat Apostolus, *Eph. 4,26*: Sol non occidat super iracundiam vestram et Dominus, *Matth. 5,23 sq.*: Si offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te: relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo: et tunc veniens offeres munus tuum", statim curandum est ut deposita ira et omni perturbatione remota si forte ex humana fragilitate orta fuerit inter sodales, ex corde reconcilientur mutuo, et cum debita satisfactione in gratiam invicem redeant.

2. Qui dissensionis aut divisionis inter Sodales aut inter Superiores auctor fuerit, omnino a domo vel etiam a Sodalitate, si incorregibilis fuerit, separandus illico erit.

3. Nemo sodalem suum vel de generis aut patriae aut factionis suae defectu contristet aut ofendat, neque publice, nec privatim, etiam per jocum. Quare de iis cavendum ne sermo fiat aut verbum intercedat, sed nec sinistre sentire aut discorditer in animo curandum.

4. Ante omnia ne murmurationis malum pro qualicumque causa in aliquo

qualicumque verbo vel significatione appareat. Quod si deprehensus fuerit quis, districtiori disciplinae subjaceat, ait Basilius, (in *reg. c. 34*) cf. *Reg. Brev. 39 t. 2,427 E.*

5. Cum ad religiosam caritatem praecipue pertineat, se invicem obsequio, beneficio et honore praevenire: omnisque spiritus dominandi seu praecipendi et omnis significatio eius reprehensibilis sit et de se valde animos alienet; omnis jubendi modus et affectus, praecipue ab iis qui Superiores non sunt, vitandus est, quia superbiam redolet et caritatem non conciliat. Verum si fortasse in aliquo negotio praecire cogatur aliquis; non praecipere, sed demonstrare quae agenda sunt videatur, et omnes ex consilio Apostoli serviant invicem, *Gal. 5,13*, ita ut fiat quod eleganter dixit Chrysostomus de antiquis monachis: "Non potest quisquam illorum audiri contumeliam inferens aut patiens, non imperans nec cui imperetur, sed omnes ex ministrantium sunt numero". (*Hom. 58 ad pop.*) In *Matth. hom. 72*, alias *73,3 t. 433 D.*

6. Nullus audeat alium castigare aut increpare aut reprehendere, nisi auctoritatem habeat vigore sui officii, vel a Superiore receptam; quamvis, ut docemur a Christo, paratus esse quisque debeat ad aliorum correptionem debita caritate cooperari, *Matth. 18,15*. Itaque monere ex caritate solum est, blande, leniter et humiliter rem proponere, ostendere, et rogando magis, quam exasperando, expostulare.

9950 **Caput II. De opinionum contrarietate, quo fieri licet, fugienda.**

1. Quamvis nihil prohibeat aliquos inter se caritatem habentes, in opinionibus dissentire, nec hoc repugnet paci; attamen usus ipse et praxis ostendit, opinionum diversitatem et frequentem contradictionem, non parum obesse unioni caritatis et saepe dissensionem parere, et ad minimum remittere fervorem et perfectionem ejus minuere:

vel quia, licet opiniones pertineant ad intellectum, tamen multum pendent ex affectu et pia affectione voluntatis:

vel quia opinionis contradictio apprehenditur, ut diminutio quaedam propriae aestimationis et famae, quae occasio est ut affectus ad alium multum minuatur:

vel denique quia haec contrarietas saepe provenit ex quadam aemulatione circa doctrinae propriae existimationem et honorem, atque alia humana commoda, quae inde proveniunt. Hinc Abbas Joseph apud Cassianum, (*Coll. 16,8*): Quemadmodum, ait, carnales adhuc et imbecilles fratres ob vilem, terrenamque substantiam inimicus ille disjungit: ita etiam inter spirituales gignit pro intellectuum diversitate discordiam.

Quare opinionum dissensio et contentio et disceptatio maxime pertimescenda, et, quod fieri potest, ab omnibus est vitanda.

2. Itaque, quantum ad doctrinam solidam, magisque in ecclesia approbatam,

nulla omnino diversitas admitti debet inter Nostros; cum novae opiniones tali doctrinae repugnantes admittendae non sint.

In opinionibus autem, in quibus catholici Doctores variant inter se vel contrarii sunt, curandum est, ut conformitas etiam in Nostris sit, utique quod fieri potest.

Praecipue autem necessarium est, ut haec diversitas, si qua sit, non sit in toto corpore doctrinae ita, ut videantur esse inter Nostros quasi scholae contrariae: hoc enim maxime solet animarum divisionem efficere.

3. Maxime vero cavendum, ne diversitas doctrinae, quae ex affectu et directa voluntate procedit, ulla ratione permittatur: namque ex instituto doctrinam alterius oppugnare, indicium vehemens est dissentientis potius voluntatis, quam intellectus; et ideo non potest non nimium nocere caritati.

4. Huc etiam maxime spectat, ut non cum offensione alterius ejus doctrina oppugnetur in publicis lectionibus, concionibus, aut scriptis libris: hoc enim est quod non solum alterius animum offendit, sed etiam scandalum maxime inferre solet, praesertim si acerbe et contentiose fiat: unde prae oculis habenda est illa Nazianzeni sententia: (*Orat. 26 de moderatione in disputationibus, 27 t. 1, 400 C*): "Turpe est... in divinis... disputationibus principatum et tyrannidem sibi vindicare, nec cuiquam omnino cedere, verum supra omnes legis doctores supercilium efferre, ubi humilitas non solum gloriam habet, sed etiam securitatem".

5. Praeterea in rebus agendis judiciorum diversitas evitanda est. Haec enim dissensionis occasio frequentius et generalius occurrit, estque magis perturbationibus exposita; quia non solum inter doctos, sed etiam inter indoctos, et inter magnos et parvos invenitur: et in singulis fere rebus et actionibus intervenire potest: et ideo solet esse majus dissensionis seminarium, eoque efficacius, quo majori affectu in his humanis rebus et exterioribus actionibus versamur. De qua re Bonifatius Papa: (*In Clementinis, l. 3 tit. 7. Dudum... De sepulturis*): Dissensiones et scandala pravis actibus aditum praeparant, rancores et odia suscitant, et illicitis moribus ansam praebent".

9951 Caput III. De contradictione verborum eliminanda.

1. Discordia et animi amaritudo maxime augeri solet per verborum contentionem. Diversitas enim judiciorum adeo humana est, ut si lenitate et moderatione verborum, animique modestia proponatur, neminem offendant: at contentio, temeraria contradictio, pertinax propriae sententiae defensio, plurimum laedit: et ideo hoc totum nobis maxime vitandum est.

2. "Curae nobis esse debet, ait Nazianzenus (*Oratione superiori, 50 pg. 405 D sq*) ut quemadmodum pueros in primis moribus et prima institutione fingimus, ut insequentis aetatis improbitatem fugiant: ita nos quoque ne in levibus quibusque parvique momenti disputationibus audaciae atque ineptiae significationem

praebeamus, ne ea tandem diuturna consuetudine in majoribus abutamur". Sic etiam Augustinus: "Adolescentes, inquit, assuefaciendos esse, ne quod semel dixerint, pertinaciter defendant".

3. Basilius in regula ait (*49 ex fusioribus t. 2,394 D*): "Quotiescumque aliqui inter se de re aliqua collidunt dissidentes et corrixantes, eos nequaquam inter se pugnaciter nimis contendere debere, sed controversiae decisionem superioribus reservare".

4. Augustinus vero in regula (*c. 34 alias 10 t. 1,793 E*) "Lites, ait, nullas habeatis, aut quam celerrime finiatis, ne ira crescat in odium, et trabem faciat de festuca".

5. Johannes Climacus ait (*gr. 4 de obed. post med.*): "Is, qui dum loquitur verbum suum, quamvis illud sit verum, firmare voluerit, sciat se diaboli morbo aegrotare. Non autem loquitur de confirmatione per juramentum, quae longe solet esse a religiosis, sed de contentiosa affirmatione quae ex superbia oriri solet, quam vocat daemonis aegritudinem".

6. Idem subjungit: "Quod si cum suis aequalibus colloquendo id facit, fortasse aliquando majorum increpatione curabitur; si vero in majorum et sapientiorum sermone contra sententiam pertinax in sua opinione perseverat, humana arte nunquam sanari poterit".

9952 **Caput. IV. De privatis affectionibus fugiendis.**

1. "Caritatem, inquit S. Basilius, (*Const. 36 alias 29, t. 2,577 D*) mutuam inter se fratres habere debent, non ita tamen ut duo tresve seorsim a ceteris sodalibus inter se coeant: quandoquidem hoc non caritas, se divisio et seditio, et eorum, qui inter se coeunt, improbitatis indicium; sine dubio communem aequalemque adversus omnes caritatem tenerent. Si vero ipsi a reliquis sua sponte abscissi disjunctique, in coetu coetum efficiunt, vitiosa hujusmodi amicitiae conciliatio est, et diversam quamdam a communibus institutis rem esse oportet, quae hos inter ipsos conciliet; atque hoc profecto nihil est aliud, quam contra veterem disciplinae stabilitatem, constantiamque innovatio".

2. Idem (reg. 34 ex fusior.) amorem hunc privatum vitiosum appellat, et "vitium maxime infame, quo mutua et concors conspiratio, quae ex caritate nasci consuevit, distrahitur, et in ejus locum suspiciones pravae, aemulationesque atque obtrectationes clam arripunt".

3. Idem ob custodiam etiam et cautelam pudicitiae et honestatis hoc maxime commendat, et concludit, (*Serm. de abdicat. Rer. circa med.*): "Crede mihi, quoniam fraterne tibi, atque ex intimo animi recessu loquor".

4. Idem (*Serm. 1 de instituta. Mon. ad finem*): "Non patitur caritatis lex aliquas coiri seorsim amicitias, aut sodalitates: quia fieri non potest, quin affectiones istae,

quae in hanc potius quam illam partem propendent, plurimum incommodent communi omnium concordiae".

5. Et qui in hoc delinquit, subjungit inferius, castigandum esse, ut injurium publicae caritati: siquidem in eo quod quis aliquem unum plus diligit, facile indicat reliquos se in amore inferiores habere.

6. Denique (Const. 36): "Qui hoc vitio laborat, ait, si post debitam correptionem non emendetur, ut ovis pestilentia contracta, ab reliquo ovili segregandus, ne in reliquos quoque morbi contagionem transfundat".

9953 Caput V. De moderatione seu discretione in diligendis Sodalibus.

1. Idem Basilius (*serm. 2 de instit. mon.*): "Licet aequalis et similis caritas adversus omnes tenenda sit; unicuique tamen, pro cujusque decore honos habeatur".

2. Et sicut in naturali corpore omnia membra quadam aequalitate diligimus, et dolore carere procuramus, magis autem illa, quae nobiliora et utiliora sunt: "Sic quoque, ait, in cuncto conventu, cum aequaliter misericordia ex malis cuiusque moveamur, et similiter caritate adversus omnes simus propensi; nihilominus tamen iis, qui utiliores sunt, majorem, ut aequum est, honorem habeamus".

3. Quocirca haec caritatis amplitudo et aequalitas, ordinem debitum, justamque distributionem non excludit: imo ejus perfectio et conservatio non minus ex hac difformitate, ut sic dicam, quam ex illa uniformitate consurgit. Nam, sicut ex privatis affectionibus inordinatis oriuntur suspiciones, invidiae, obtrectiones et similia vitia, quae caritatem laedunt; ita ex indebita parilitate ordo confunditur, et virtus debito honore ac praemio privatur. Atque ob eam rem, iudicio omnium sapientum, non minus necessaria est ad fovendam caritatem; justa distributio, quam communis benevolentia.

4. Cum dicat Paulus (*I Tim. 5,17*): "Qui bene praesunt presbyteri, duplici honore digni sunt, maxime qui laborant in verbo et doctrina", concludit Basilius (*in reg. brevior. 170*): "Hoc rectum arbitror, ut in omnibus, qui hujusmodi sunt, servetur". Quod late etiam docet Cassianus (*Coll. 14 c. 16*) exemplo Christi Domini, Joannem specialiter diligentis. Non igitur omnis amor, qui ad quosdam major sit, quam ad alios, in religione reprehenditur, sed ille qui modum excedit: ideoque singularis ac privatus, quasi per antonomasiam, dicitur.

9954 Caput VI. De privatis, sive inordinatis affectionibus dignoscendis.

1. Indicia autem talis amoris sunt: primo, si ratio majoris amoris non sit, aut major Dei gloria et honor, vel major religionis aut animarum utilitas, aut major virtus et sanctitas, quae in tali persona cernitur: quidquid enim ad haec motiva non

reducitur, alienum est ab ordine caritatis religiosae: adeo ut Basilius dicat (serm. 2 de instit. mon.), etiam sanguinis conjunctionem quantumvis propinquam, in religiosa caritate non spectandam, sed pro nihilo habendam esse.

2. Secundo, si talis affectio ad unum aliquam avertit aliquo modo animum ab aliorum dilectione, ita ut, vel eorum consortia et conversationem, quam communis caritas portulat, declinet, aut moleste ferat, aut eorum necessitatibus non ita libenter subveniat; signum apertum est excessum illum, non ex ordine caritatis, sed ex privata affectione oriri.

3. Tertio, ex aliis affectibus plane cognoscitur: nam caritatis amor est ordinatissimus, et non nisi debito tempore et loco, sine cujusque offensione ostenditur. Si ergo affectio illa inclinatur ad tempus otiose terendum, vel ad aliquid aliud, quod perfectioni, ac regulae consentaneum non sit, privata affectio est, non caritatis debitus amor. Unde maxime laeditur caritas, ut Basilius egregie prosequitur (supra), quando sine manifesta causa, plus uni quam alii tribuit, vel si munerum aut bonorum distributio sine debita proportione fiat. Nam, licet unusquisque religiosus, quantum in se est, debeat omnia contemnere et viliorem gradum appetere, tamen, respectu aliorum, singulorum merita spectanda sunt, et debito honore et amore prosequenda: quod maxime ad superiore spectat, a quibus gravius caritas offenditur, quando privatis affectionibus, et non juxta uniuscujusque facultatem ac merita, habita communis utilitatis ratione, labores et honores singulis distribuunt, ut optime attingit idem Basilius (*reg. 303 ex brevioribus*).

9955 SECTIO II. De mediis positivis.

Cap. I. De interiori propensione, sive animi dispositione.

1. Haec ex interno spirituali, profectu maxime pendet, quo caritas vera, seu amor in Deum et Christum Dominum dum incrementum habet, unio ipsa inter sodales ex quo singuli uniuntur Deo et Salvatori Nostro, augetur, et perficitur.

2. Unde, quia hoc unionis vinculum oratione ac meditatione maxime crescit, juxta illud, Ps. 38,4: In meditatione mea exardescet ignis; ideo sine dubio haec est certior et solidior via ad hanc unitatem obtinendam.

3. Quoniam vero nihil ita conciliat erga aliquem verae caritatis amorem, quam cum singularia virtutum ornamenta et Spiritus Sancti dona in eo conspicimus, eumque ut Dei imaginem optimis gratiae coloribus depictam contemplamur; si ergo omnes et in seipsis studeant in his virtutibus et donis crescere, et in aliis ea frequenter considerare, eosque tamquam sibi superiores in animo ducere, et de illorum spiritualibus bonis gaudere, Deoque gratias agere, mirum profecto in modum mutua inter eos caritas crescet.

9956 **Caput II. De exterioribus, quae generaliter magis caritati inserviunt.**

1. "Hujusmodi unio magna ex parte per obedientiae vinculum conficitur", ait S. Ignatius (*Constit. p. 8 c. 1 § 3*).

2. Simile est paupertatis et humilitatis medium, sive rerum temporalium namque honores et dignitates, aequae ac divitiae, corporalesque commoditates computantur: nec minus illorum, quam horum bonorum contemptus ex Dei caritate sequitur: pauperes etiam spiritu et humiles sicut omnibus honorem; exhibent, ita ab omnibus corde intimo recipiuntur.

3. Peculiariter vero est paupertatis medium, ut pote religiosi ratione voti propriissimum, quod luculenter tradidit Basilius: "Ubi, inquit, omnia communia sunt, animi, mentes corpora, et ea omnia, quibus necessario ad victum, cultumque utimur, communis Deus, communis pietatis mercatura, communes labores etc." (*Constit. mon. c. 19*). Idem Cassianus afferens illud Actorum 4,32: "Erat illis cor unum et anima una". Et statim ibidem subditur: Et erat illis omnia communia" (*Coll. 16 c. 6*).

9957 **Caput III. De specialibus, in quibus eminent uniformitas in vivo.**

1. Uniformitas et conformitas esse debet in omnibus rebus etiam externis, ut in vestitu, victu, omnique vivendi modo: similitudo enim est causa amoris: et hae vitae uniformitas, ac communis consensus, maxime ad animorum unitatem juvat.

2. Unde Augustinus (*Reg. c. 5*): "Omnes unanimiter et concorditer juvent": ac si diceret, ut juvent concorditer, necesse est ut vivant unanimiter. Et subdit: "Et honorate in vobis Deum invicem, cujus templa facti estis". Quia Deus solus est "qui habitare facit omnes unius moris in domo"; unde haec uniformitas maxime facit, ut Deus in omnibus recognoscatur, et consequenter ut omnes in Deo maxime uniantur.

3. Huc spectat mensa communis, ut nullus quantumvis gravis et antiquus, sive superior, sive doctior, sive cujuscumque alterius conditionis ab illa excipiat, nisi aegritudinis causa. Quam communicatam antiquorum Monachorum maxime commendat Chrysostomus. "Cuncta, inquit, illis communia sunt, mensa, domus indumentum, et quod sane mirabilis est, unus etiam, idemque animus omnibus est" (*l. 3 contra impugnatores vitae monasticae*): indicans illam externam unitatem multum ad hanc animorum unitatem conducere.

9958 **Caput IV. De modo victus et mensae communis.**

1. Ne mensa solum dicitur communis in loco et tempore, sed maxime in usu ci-

borum; nam iidem omnibus absque singularitate apponi debent; de quo Chrysostomus, de religiosis loquens (*hom. 58 ad pop.*): "una mensa et ministerium suscipientibus et exhibentibus, eadem indumenta, habitacula eadem, eadem vita. Et quid miraris, subdit, quod una sit omnibus dieta, vestis et mensa, quippe cum omnibus sit una anima?"

2. Ob hanc causam omnis etiam singularitas in communi mensa caveatur, quia solet valde pusillorum animos offendere et consequenter caritatem perturbare, ut optime docet Bernardus, (*serm. 30 in Cant.*).

3. Quamquam hoc impedire non debeat, quominus necessitatibus omnium proportionem subveniatur, juxta illud, "dividebatur singulis prout unicuique opus erat", Act. 4,35: nam hoc ipsum caritas ipsa desiderat.

4. Unde Benedictus in regula (*c. 34*): "Non dicimus, inquit, ut personarum (quod absit) acceptio fiat, sed infirmitatum consideratio: ubi qui minus indiget, agat Deo gratias, non contristetur: qui vero plus indiget, humilietur pro infirmitate, non extollatur pro misericordia; et ita omnia membra erunt in pace".

9959 **Caput V. De cura aegrotorum et infirmorum.**

1. S. Basilius (*c. 19 Constit. mon.*): "Ubi, dicit de vita coenobitica, qui infirma corporis valetudine est, complurium animos imbecillitatis suae participes habet: qui vero animo aeger est et affligitur, etiam complures praesto sunt, a quibus curetur, a quibusque quotidie erigatur"; significans sub hac aegrotantium cura omnia misericordiae opera comprehendere, quibus fratres sibi invicem subvenirent: nunc infirmum curando, nunc afflictum consolando, nunc laborantem adjuvando, nunc etiam labantem confortando, aut jam lapsum corripiendo et erigendo.

2. Idem (*in reg. mor. 41 c. 2*) lenitatem et facilitatem erga infirmos valde commendat.

3. Idem (*in reg. brev. 159*) ait ministrandum esse infirmis "ut fratribus Domini". Et optime S. Benedictus (*Reg. c. 36*): "Infirmorum cura ante omnia et super omnia adhibenda est, ut sicut revera Christo, ita eis serviatur".

4. Item S. Benedictus (*infr.*): "Cura maxima sit Abbati, ne aliquam negligentiam patiantur". Quod confirmavit Innocentius III (*in cap. Cum ad mon. de statu mon.*). Eidem rei providit S. Pachomius in sua regula (*c. 20, 22, 23*), ubi sunt illa verba notanda: "Dabunt ei ad omnem abundantiam, ut in nullo frater languidus contristetur". Cui consonat quod de Aegyptiis monachis refert Hieronymus: (*in proem. ad illam reg.*) "Aegrotantes miris sustentantur obsequiis, et ad omnem copiam praeparatis cibis".

5. S. Bonaventura (*lib. de sex alis Seraph. c. 4 tom. 2 Opusc.*) optime advertit non esse aliquibus denegandum infirmitatis subsidium, eo quod aliqui vel ex illusione, vel ex malitia interdum decipiant, sed potius subveniendum esse

omnibus, ne boni et vere indigentes fortasse patiantur.

6. Et ideo etiam prudenter praecipit D. Augustinus (*Reg. 28*): "Si latens est dolor in corpore famulo Dei dicenti quod sibi doleat, sine dubitatione credatur; sed tamen utrum sanando illi dolori, quod delectat, expediat, medicus consultatur".

7. Lupus in regula monachorum (ex S. Hier. *c. pen.*): "Si quis, ait, coeperit aegrotare, transferatur ad exedram latiore, et tanto senum ministerio confoveatur, ut nec delicias urbium, nec matris quaerat affectum".

8. Singuli de rebus ad salutem sibi necessariis superiores certiores faciant, ne fortasse ob ignorationem eorum aliquid patiantur.

9960 **Caput VI. De hospitalitate erga Sodales.**

1. Si fratres aut sodales ad nostra domicilia ex quocumque loco divertant, hospitalitas illis exhibenda est cum omnibus signis et operibus benevolentiae et caritatis.

2. Non solum autem nostri peregrini vel hospites humanissime tractandi sunt, dum in loco versantur, sed etiam vestes et viaticum, si indiguerint, illis est praestandum: neque hoc potest esse paupertati contrarium, si caritati videatur necessarium.

3. Hoc ad omnes extenditur erga quoscumque sodales, sine ulla generis aut patriae distinctione, absque personarum acceptatione vel limitatione, sive professi sint, sive novitii, sive sani, sive infirmi, sive noti, sive ignoti, ad omnes magna caritas exhibenda est.

4. Haec autem caritas in primis in ipsa receptione ostendenda est; quae esse debet cum externis signis maximae amicitiae, qualia exhiberi solent de more regionis, a gravibus inter se amicis aut etiam consanguineis.

5. Deinde non solis signis, sed etiam multo magis omnibus misericordiae et humilitatis operibus utendum est, nec laboribus, nec sumptibus parcendo, quantum et religiosa paupertas permittit, et fratris necessitas postulat.

6. Eadem Basilius (in *Reg. Fusior. c. 29*), ubi tamen multum commendat, ne in convivando cum hospitibus religiosa modestia et paupertas excedatur: "Quid, inquit, nobis cum apparatus sumptuosus? Accessit ad nos hospes aliquis: Si frater est et idem nobiscum vitae institutum habet, is domesticam suam mensam agnoscat; quippe cum, quae domi reliquerit, ea inventurus sit apud nos. At defatigatus ex itinere? eatenus cum ipso prolixius, liberaliusve agatur, quatenus ad recreandum ejus lassitudinem satis sit".

7. Tandem concludit, unumquemque debere juxta suam qualitatem et necessitatem tractari, ita tamen, "ut cibaria, quae promiscue omnibus apponantur, ejusmodi sint, quae cum vili pretio, cum parvo etiam negotio comparentur. Adhibenda tamen in mensa necessaria ubique munditia atque elegantia, ita tamen ut nunquam extra

fines nostro egrediamur".

9961 **Caput VII. De communi recreatione et colloquio.**

1. Singulis diebus, una hora post prandium, et alia post coenam, vel dimidia, cum a coena abstinetur, sodales omnes inter se familiariter, et amice, in eodem loco, si fieri possit, conveniant et colloquantur.

2. Quod pro salute tuenda, praecipue tamen ob caritatem fovendam omnibus sine exceptione injunctum esse oportet. Quoniam amicitia, Aristotele teste (8. Eth. 5) communicatione crescit, taciturnitate dissolvitur. Et S. Theresia ait: Caritas communicando crescit.

3. Hoc autem ipsum fuisse in primitiva ecclesia usitatum satis pervulgatum est: et simile de antiquis monachis Hieronymus, *Epistola 22 ad Eustochium, De custodia virginitatis, c. 35 t. 1, 118 A*, solitos nempe fuisse per decurias ad mensam convenire, et postea hymno dicto, sive post gratiarum actionem, "usque ad vesperam, ait, cum suis unusquisque loquitur, et dicit, Vidistis illum et illum? quanta in illo sit gratia? quam moderatus incessus? Si infirmum viderint, consolantur: si in Dei amore ferventem, cohortantur ad studium".

4. Abraham Abbas apud Cassianum, ait (*coll. 24 c. 20*): "Illa remissionis atque humanitatis intercapedo gratissima, quae nonnunquam pro adventu fratrum intervenire consuevit, licet molesta vobis ac fugienda videatur, tamen quam sit utilis ac salubris tam corpori quam spiritui vestro paucis accipite. Saepe accidit, non dicam novitiis et infirmis, sede etiam experientissimis, atque perfectis, ut nisi mentis eorum directio, atque censura quibusdam fuerit munita vicissitudinum laxamentis, aut in teporem spiritus, aut certe in perniciosam corporis valetudinem collabatur. Et ideo a prudentibus atque perfectis, cum intercesserit crebra etiam fratrum visitatio, non solum toleranda patienter, sed etiam gratanter est amplectenda". Quae omnia in nostram quotidianam intercapedinem per mutuam fratrum colloquutionem egregie conveniunt, nam prorsus eosdem fines et eosdem fructus habet, quos statim commemorat dicens, (*ibidem*):

5. "Primum, quod provocat nos avidius semper solitudinis desiderare secretum: nam quodammodo cursum nostrum, dum interpellare creditur, infatigabilem, jugemque conservat, qui si nullo interdum obice tardaretur, usque ad finem contendere indefessa pernecitate non posset. Deinde, quod necessitas recreandi corpusculi, cum fructu humanitatis indulget, majora nobis confert luca, cum jucundissime corporis laxamento, quam illa sint, quae per abstinentiae fatigationem fuerant acquirenda".

6. Praeterea cum finis praecipuus nostrae Sodalitati sit conversio animarum, hunc magnopere consequitur conversando cum hominibus, et de divinis rebus suaviter, ac discrete loquendo; ad hoc autem valde proficiunt religiosi sodales in

his, quae inter se habent religiosa colloquia; quae frequentius esse debent de divinis rebus; et ita usu addiscunt suis temporibus tacere, et suis prudenter et fructuose loqui, quod est optimum silentii genus, ut indicavit Ambrosius, (in *Ps. 118 Oct. 2 et c. 10 l. 1 de Off.*): "Pythagoras, inquit, suis silentium imposuit, ut non loquendo loqui doceret. David, ut loquendo magis disceremus loqui, quomodo enim sine exercitio doctrina? aut sine usu profectus?" et concludit: "Ita ergo qui volunt discere cautionem loquendi, quod naturae est, non negent; quod custodiae est exercent".

7. Attenditur vero quod consulit D. Thomas: "Ne gravitas animae totaliter resolvatur," et simile documentum adducit (*qu. 168, 2*) ex Ambrosio (*1 Off. c. 20*): "Caveamus, ne dum relaxare animum volumus, solvamus omnem harmoniam, quasi concentum quemdam bonorum operum". Cui consonat elegans sententia Basilii (*Const. mon. c. 13*): "Vitandae omnes omnino in sermone facitiae, et scurrilicis dicacitas, sicut etc." Et infra: "Si usus inciderit aliquando, ut remittendae aliquantulum tristitiae causa sermone ad hilaritate excitemur, danda omnino opera, ut spirituali lepore refecta sit oratio nostra et Evangelico sale condita, ut rectae, quae interius sit, sapientiae gratum foras odorem aspiret, dupliciterque auditorem et animi relaxatione, et intelligentiae festivitate delectet".

9962 **Caput VIII. De mutua inter absentes communicatione per litteras.**

1. Nec solum inter sodales ea communicatio sit, quae animos eodem loco habitantium in unum cor et animam conjungat, sed etiam absentibus illa non desit litterarum communicatio, quae ad eundem finem inserviat.

2. Frequens igitur debet esse epistolarum commercium inter superiores et inferiores, et crebro alii de aliis certiores fiant, eaque audiant, quae ad aedificationem prodesse valent.

3. S. Basilius ait (*Reg. mor. 70 c. 1*): "Qui Dei beneficio recte aliquid fecerit, is ceteris quoque notum facere illud debet, ut Dei gloria crebrior efficiatur". Affertque de hoc Apostolorum exempla, (*Act. 14,26 - Eph. 6,21*).

4. Unde idem Basilius ad Ambrosium scribens, (*Ep. 55*) inter magna Dei dona numerat, "quod quam longissime propter locorum distantiam sejunctis, per litterarum alloquium mutuo coalescere dedit". Et infra illum excitat ad hoc necessarium caritatis officium: "Quod dilectionis, inquit, erga nos fundamentum jecisti, in ipsam structuram assiduitate mutui nostri alloquii excitare, ac provehere stude. Nam hoc pacto spiritu poterimus conjuncti esse, licet terrestri habitatione quam longissime alter ab altero dissiti simus".

5. Hinc etiam antiqua fuit in ecclesia consuetudo, ut essent inter fideles communicatoriae, (sic enim appellabant) litterae, quibus invicem inter se catholici communicare, et fidei suae testimonium praebere solebant, de quibus mentionem

facit Optatus et Augustinus (*l. 2 de Schism. Donatist. - Epist. 163 ad Eleus*).

9963 **Caput IX. De mutua sodalium cura profectus.**

1. Cum sit finis Sodalitatis animarum salutem procurare, et consequenter ministeria postulet huic fini accomodata; hinc in primis fit, ut quilibet sodalis prius et impensius procurare et desiderare debeat suorum fratrum salutem, quam externorum, quia caritas ordinatissima est. Unde, sicut inclinatur ad quaerendam prius propriam spiritualem salutem, quam aliorum; ita etiam inter alios prius intendit, et quaerit salutem spiritualem spiritualium fratrum, totiusque corporis Sodalitatis, quam externorum.

2. Hinc oriri debet summa illa cura ac diligentia, quam Superiores Sodalitatis de spirituali profectu suorum filiorum habere debent.

3. Hinc etiam mutua illa propensio et animi praeparatio ad suscipiendam ab aliis correctionem, tum ad aliorum correctionem debita caritate iuvandam.

4. Hinc pariter mutua omnium cura per colloquia et sermones fraternam caritatem fovendi, et se invicem ad virtutum et perfectionis studium excitandi.

5. Eleganter Chrysostomus in illud *Joannis 16*: "Ut sint unum, sicut ego et tu unum sumus", "Nihil est concordiae et mutuae voluntati aequiparandum: unus enim multiplex est. Si enim concordēs sint duo vel decem, non amplius erit unus, sed eorum unusquisque sit decuplus, et inveniēs in decem unum, et in uno decem". Et infra: "Ecce dilectionis excellentia, quo pacto unum inseparabilem et multiplicem reddit, et unus in multis simul locis, in Perside et Romae esse possit, et quod natura non potest, dilectio potest", (*Hom. 77 in Jo. 16*).

9964 **PARS XI. De familiari conversatione cum proximis ad illorum salutem.**

Caput. I. De illa familiaritate quae sit vitanda.

1. Basilius ait (*Reg. 5 et 13 ex fusioribus*): "Nisi ab ea nos, quae ex sanguinis necessitudine nobiscum intercedit, conjunctione omnino alienaverimus, et a familiari congressu saecularium, ac mentis habitu in alium veluti mundum transmigraverimus, nullo modo scopum animi attingemus".

2. Idem (in *constit. mon. c. 7*): "Danda omnino nobis opera est, ut non nisi magna adhibita diligentia, circumspectionesque in congressu cum hominibus externis veniamus".

3. Ex huiusmodi etenim familiaritate cum saecularibus plerumque sequitur, ut et eos visitare et ab eis invicem visitari plerumque necesse sit: utrumque autem est contra religiosorum clausuram, quam omnes Patres commendant.

4. Hinc etiam fit, ut religiosi saepe se implicent negotiis saecularibus contra Pauli praeceptum: "Nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus", 2 Tim. 2,4.

9965 Caput II. De recto modo conversandi cum hominibus.

1. Propositum unicuique sit exemplum Christi Domini, qui vitam ita instituit, ut cum hominibus conversaretur, et cum eis manducaret et biberet; cum tamen non solum perfectionem servaverit, sed etiam vitae statum perfectissimum coluerit.

2. Item exemplum Apostolorum, quos statum religiosum et perfectionis habuisse novimus; et tamen constat inter homines familiariter conversatos fuisse, et omnibus omnia factos, ut omnes lucrifacerent.

3. Unde Concilium Moguntinum sub Leone III cum dixisset (*c. 14*): "Ministri altaris vel Monachi a negotiis saecularibus omnino abstineant", subdit, "non tamen justum negotium est contradicendum propter necessitates diversas, quia legimus Sanctos Apostolos negotiasse". Sic ergo nos in negotiatione Apostolorum circa animarum salutem, recte colligimus non esse contra religiosum statum eo fine cum proximis conversari ex vi instituti.

4. Antiqui Monachi, quando proximis expediebat, solitudinem deserebant, ut inter proximos versarentur: ita legitur in vita Divi Antonii apud Athanasium et Surium et Sozomenum, ubi dicit (*l. 1 hist. c. 13*) Antonium hominum gratia solitum fuisse civitatem ingredi. "Multo etiam, inquit, graviter apud eum conquesti coegerunt illum legationem pro se ad magistratus et primarios viros obire".

5. Theodoretus de eodem (*l. 4 hist. c. 24 et 25*): "Relicta solitudine, totam illum circuibat civitatem (Alexandriam), quo omnes doceret". Quod de multis aliis ibi refert.

6. Basilius (in *Reg. brev. 311*) quaerit, an conveniat monachis ire ad visitandum alios, et respondet: "Omnino visitandi officium unum est ex iis, quae grata sunt Deo; verum tamen qui eo fungitur, is et ad intelligendum esse sagax debet, et ad respondendum prudens, et illud facere, quod dictum est: "Sit sermo vester semper in gratia sale conditus, et sciatis, quomodo oporteat vos unicuique respondere (*Col. 4,6*).

9966 Caput III. Quomodo scopum Sodalitatis per familiarem conversationem assequamur.

1. In primis ad perfecte tractandum Confessoris munus, necessarium saepe est cum poenitentibus etiam extra confessionem familiariter agere: vel propter majorem eorum instructionem, aut spiritualem consolationem, vel ad conservandos illos in usu frequenter confitendi, et in bonis operibus, quae ex illo nascuntur.

2. Deinde, quia generales sermones seu conciones, licet pro communitate necessariae sint, nisi calore familiaris conversationis sancte foveantur et quasi digerantur, facile oblivioni traduntur. Praeterquam quod necessarium saepe est ab illa generalitate descendere ad modum et mensuram ac particulares circumstantias unicuique accomodatas, quod maxime in privatis colloquiis fieri debet.

3. Denique, quia saeculares homines plerumque animales sunt potius quam spirituales, necesse est aliquantulum iis condescendere, et honesta conversatione familiari eos lucrari et attrahere, ut ad sermones spirituales paulatim inclinentur. Quamvis enim interdum sermones indifferentes misceantur, si hac intentione accipiantur, vel potius tolerantur, non erunt otiosi, sed utiles ac religiosi.

4. Cum autem unicuique Deus mandaverit de proximo suo, *Eccli 17,12*, non tantum sacerdotes consilio et exhortatione, sed studentes ipsi, et Novitii, quando eis concessum fuerit, imo et fratres collaboratores, quisque juxta virtutem suam: et pro circumstantiis, studeat prorsus ad virtutem proximos allicere in privatis, quae occurrent, colloquiis.

5. Quomodo vero cum foeminis et quo tempore et prudentia et circumspectione sit agendum et a quibus, jam supra dictum est, quod et servari omnino debet.

9967 Caput IV. De duabus conditionibus, quibus hoc medium sit religioso statui accomodatum.

1. Prima est: Recta intentio caritatis vel religionis, idest propter necessitatem vel piam utilitatem, quia amicitia vel conversatio cum saecularibus per se spectata pertinet ad negotia saecularia, nisi ex fine ad altiorem ordinem levetur. Unde S. Basilius ait (*d. reg. 311 ex brev.*): "Illud autem quempiam visere vel consanguinitatis vel amicitiae causa, alienum est a nostra professione". Ubi duo motiva posuit, quae inter mere humana videri poterant honestissima; et nihilominus aliud altius postulat, ut talis acutus religioso statui sit consentaneus. Propterea non dixit esse "malum" visitare cognatos et amicos, hoc solo titulo, quia cognati et amici sunt, sed dixit esse "alienum" a religioso statu.

2. Altera est conditio: Ut cum magna moderatione et circumspectione fiat. Modus autem seu mensura sumenda est ex fine jam dicto, in quo duo spectanda sunt. Unum est ad Deum pertinens, seu, quod idem est, ad proprium profectum in dilectione ejus: aliud pertinens ad bonum proximorum; nisi enim fructus speratur proximorum, otiosa est omnis conversatio. Praeter ea ait Bernardus (*ep. 8*): Rectus ordo requirit, ut prius propriam, deinde alienam curare studeat conscientiam. Primus quippe pietatis gradus, de quo scriptum est: miserere animae tuae placens Deo, *Eccli. 30,24*. Ex hoc autem ad miserandum proximum recto jam tramite caritas ordinata procedit, quippe quem ad sui quisque mensuram amare praecipitur.

3. Itaque in primis: haec conversatio cum proximis nimia non sit, quia haec non

potest non impedire proprium spiritualem profectum. Erit autem nimia juxta doctrinam Divi Thomae (*d. ar. 2*)

1- si praeter obedientiam praelati fiat,

2- si impediatur spiritualia exercitia, et opera divini cultus, quae religiosus juxta regulam suam implere tenetur,

3- si [haec conversationes] religiosam animam ita occupent et distrahant, ut quodammodo saecularem reddant.

Qui autem in duobus primis fidelis fuerit religioni et rectam erga Deum intentionem servaverit, sperare potest divinum auxilium, ut in tertio modo non deficiat, sed medium observet. Optimum autem consilium, et in sodalitate nostra maxime necessarium est, propriam in hoc fragilitatem et conditionem, quoad fieri possit, superiori notam facere, ne fortasse quempiam applicet ad negotia, quibus implicetur, vel oneret illum tot actionibus erga proximum, ut sine proprio spirituali dispendio eas sustinere non possit.

4. Ad eandem moderationem pertinet, ut actio, quae propter proximum assumitur, sit decens ac conveniens statui religioso, quia bonum religionis praeferendum est particulari. Et hac ratione non debet religiosus mercaturam agere, testamenta condere, aut exequi, aut res civiles procurare, aut similibus negotiis implicari, ut proximo subveniat, etiamsi inde spiritualem fructum speret, (Cajet. *in dicto articulo 2*).

5. Aliud vero est habitum mercatoris sumere vel officium fingere, ut aditus ad praedicandam fidem, vel aliud simile pietatis opus inveniatur; quod nonnulli Sancti fecerunt. Eodem modo licitum quandoque est, inter haereticos habitu militari vel alio saeculari incedere, vel se negotiatorem simulare, propter eundem finem conversandi cum catholicis occultis, fidemque inter eos conservandi vel augendi, quod passim missionarii faciunt: quia ibi nec mendacium intervenit, sed occultatio, neque aliquid minus decens religiosum statum, cum constet quo fine, et qua necessitate id fiat.

6. Neque artis opera facere, quod olim monachi et Paulus, ut illis venditis ex pretio sibi vel proximis subveniatur, negotiatio est saecularis, sed res indifferens et communis.

7. Duo autem sunt principia, quibus discerni possit hujusmodi decentia vel indecentia actionis.

Primum, si sit prohibita vel ex se, quia per se mala, vel jure communi, quia scilicet prohibita est clericis, quibus in hoc pares sunt religiosi, vel si proprio ac speciali jure religionis prohibeatur, (*dicto art. 2 D. Thomae*).

Alterum est, si opus de se tale sit, ut vix possit sine periculo peccati fieri, ut Gregorius dixit, (*Hom. 24 in Ev.*). Idemque cum proportione est, si opus nimium occupet animum cura ac sollicitudine rerum temporalium. Quia vero in hoc potest

esse magna latitudo; ideo, seclusa lege vel obedientia Praelati, non potest certa regula praescribi, sed prudenti arbitrio utendum est, et multo observanda est consuetudo observantium ac timoratorum religiosorum, et communis sensus recte sententium, et iudicantium tale opus esse vel non esse alienum a statu religioso.

8. Quapropter negotium etiam pium, sine facultate Superioris, nemo ex nostris suscipiat vel promittat.

9. Cum autem dictum sit initio, nostram Sodalitatem curam animarum ordinariam non admittere, hoc intelligitur non tantum respectu habito ad saecularium hominum communitatem, et insuper religiosarum foeminarum monasteria et congregationes; verum etiam ita ut nec particularium seu virorum, seu praesertim mulierum hanc veluti ordinariam curam, quasi ex officio vel obligatione utriusque vel alterius partis, nullus Sodalis suscipiat, neque ullius personae obedientiam admittat.

9968 Caput V. De modo visendi et juvandi proximos in periculo mortis.

1. Curandum est, ut quae ad bene moriendum proximis conferunt, calleant sodales, et qui modus in eo momento temporis, a quo pendet aeternitas, servandus sit illum optime norint: neque desint qui saecularium aegrotorum confessiones audiant, et morientes possint adjuvare.

2. Cum aliquis ex nostris vocatus fuerit ad aliquem infirmum, sive pauperem, sive divitem, sive hoc, sive illo morbo laboret, et quacumque hora diei sive noctis, "quam citius ad eum pergat, et ingressus cubiculum aquam benedictam super eum, et per omne cubiculum aspergat cum antiphona, Asperges me Domine, et orationes", (*Conc. Nannet. c. 4*).

3. "Post haec omnes jubeat extra cubiculum secedere, et appropinquans lecto, quo infirmus decumbit, eum leniter, blandeque alloquatur, ut omnem spem suam in Deo ponat, flagellum Dei patienter toleret, ut hoc ad purgationem et castigationem suam provenire credat, ut peccata sua confiteatur, ut emendationem promittat, si Deus vitam concesserit, poenitentiam pro peccatis commissis spondeat, ut substantiam suam, dum adhuc sensus et ratio vigeat, disponat, ut peccata sua eleemosynis redimat, ut his, qui in se peccaverunt, indulgeat, ut rectam fidem et credulitatem teneat, ut de Dei misericordia numquam desperet.

"Cum his et hujusmodi allocutionibus fuerit mens infirmi relevata, data benedictione recedat sacerdos, non post multum reversurus, detque locum, ut aegrotus de peccatis suis possit cogitare".

4. Sacerdotes, qui vocantur ad adjuvandos eos, qui morti vicini sunt, tamdiu illis adsint, quamdiu sola necessitas postulaverit: etsi vero, cum opus est, hujusmodi infirmos ad condenda testamenta hortari conveniat, iis tamen

conficiendis non assistant.

5. Eadem autem ratione, quamvis, ubi opus fuerit, admonendus sit infirmus, ut pro ratione periculi, de rebus suis disponat; non tamen ei est offerendum consilium circa dispositionis modum, nisi in his tantum, quae ad salutem ejus fuerint necessaria, ut de restituendo alieno, de solvendis debitis, de necessariis haeredibus instituendis, ita ut, quantum in ipso fuerit, omnis occasio jurgiorum et litium tollatur; ad particularia autem descendere non expedit, quia eadem habet incommoda.

6. Si vero infirmus consilium petat circa ea, de quibus libere potest disponere, ad officium confessoris spectat id consulere, quod majus Dei obsequium esse, et ad majorem utilitatem animae testantis expedire judicaverit. Ut autem Sodales nostri debito modo hoc faciant, servent sequentia.

7. Nemo ex nostris ad eleemosynas perpetuas domibus vel ecclesiis ejusdem Sodalitatis relinquendas incitare quemquam debeat aut possit. Nec legata vel debita, aut male ablata incerta sodalitati suae fieri pariter aut erogari procuret, (Clem. 1 de priv.).

9969 PARS DUODECIMA. De Regimine Sodalitatis.

Caput I. De modo regiminis.

1. Quamvis Superior uti debeat consilio fratrum in gubernando, "in ejus tamen pendeat arbitrio, ut quod salubrius judicaverit esse, ei cuncti obediant", ait Benedictus (*Reg. C. 3 et 65*).

2. Basilius (*Reg. 48 ex fusioribus*): "Nullo modo quis curiose Antistitis consilia pervestiget, aut in ejus facta anxie inquirat, his dumtaxat exceptis, qui cum dignitatis gradu, tum consilii prudentia Antistiti ipsi proximi sunt. Quos quidem ille necessario sibi, quandocumque de re aliqua erit deliberaturus, in consilium, ac maturam considerationem adhibebit, nimirum praecepto illi obtemperans: Omnia fac cum consilio, *Eccli. 32,34; cf. Prov. 13,10 et 16*."

3. Congregationes etiam Sodalium cogendae sunt, in quibus defectus corrigantur, et honesti mores laudentur. "Quo videlicet, ait idem Basilius (*c. 54*) adhibita locuplete multorum sententia, majore cum autoritate, quod in medium adductum est, quale sit judicetur". Non tamen judicium definitivum erit omnium, nec pro singulis et ordinariis defectibus judicandis.

4. Unusquisque igitur Superior Sodalitatis, pro ratione et mensura sui muneris, integram habeat potestatem, solumque consiliiarii, non conjudices, illi adjungantur. Primo quidem, quia hoc secundum se et ex genere suo melius est ex communi sententia. Deinde, quia in statu religioso sine dubio potest maxime conferre ad perfectionem; tum quia hoc modo purior ac perfectior obedientia exercetur; tum

quia hoc modo est major dependentia membrorum a capite, et ita etiam major unio, qualis inter patrem et filios esse debet; tum etiam quia hoc modo tollitur occasio multiplicandi dignitates tot judicum, et quasi praelationes in religione, et consequenter etiam minuitur ambitionis occasio. Tum denique, quia si ordinationes, judicia et aliae negotiorum expeditiones a plurium sententia et voluntate pendeant, multiplicantur pericula schismatum et divisionum: quae videntur esse majoris momenti, magisque frequentia, quam sint, si potestas regiminis sit in uno tantum posita et temperata solum per consilia sapientum.

5. In rebus tamen gravioribus ac perpetuis, non Superior solus, sed Superior ipse de consilio et decisivo suffragio majoris partis Sodalium professorum, jus habeat statuendi. Hujusmodi res forent condere, vel mutare statuta, declarare seu definire, quae circa ea dubia oriuntur, alienare, vel dissolvere semel fundatas domos, et alia graviora negotia.

6. In aliis autem, quae non ita magni momenti sunt, idem Superior adjutus, quatenus ipse opportunum judicabit, fratrum suorum consilio, per se ipsum ordinandi et jubendi, quae ad Dei gloriam et commune bonum pertinere in Domino videbuntur, jus totum habeat.

7. Monitor etiam constituatur, qui, praemissa ad Deum oratione, cum modestia debita et humilitate, quicquid sentiat in ipso Superiore requiri ad majus Dei osbequium et laudem, eum debeat admonere. Nam hoc officium erga Praelatos valde necessarium est, ut docuit Basilius, (*Reg. 27 ex fusioribus*).

8. Addit vero idem Basilius (*ibi*): "Ne ordinariae disciplinae injuria fiat, hujusmodi admonitio ad eos est deleganda, qui cum aetate, tum prudentia reliquis praesent.

9. Superior Sodalitatis per se ipse constituet Directorem in alia quacumque domo, quae fundata erit, vel fundari contigerit; vel si cui hanc potestatem communicaverit, ejusdem tamen Superioris totius Sodalitatis erit eosdem locales Superiores confirmare vel remove.

10. Itaque proprii cujusque gradus judicium, et officiorum discretio, ac distributio, tota sit in manu Superioris Sodalitatis, vel eorum, quos ipse sibi ea cum auctoritate substituerit: ut congruus ordo servetur in omni bene instituta communitate necessarius.

9970 **Caput II. De denuntiatione.**

1. Smaragdus hanc regulam reffert (in *Reg. S. Benedicti*): "Si quis eum, quam distractionem monasterii non ferentem, fugam meditari cognoverit, non statim prodiderit, perdicionis illius participem se esse non dubitet, et tam diu conventu fratrum sequestrandum, quamdiu ille valeat revocari".

2. Idem (*c. 3 ex Paulo et Stephano Abbatibus*): "Si quis alterum quacumque

parte viderit quodcumque illicitum vel sermone vel opere facientem, et priori distulerit errore set; cognoscat se esse nutritorem peccati, et per omnia aequalem peccanti: quia et animae suae et illius, quem tegit, est durissimus inimicus.

3. In constitutionibus Praedicatorum dicitur: “Ne vitia occultentur errore suo, quilibet denuntiet quae viderit vel audierit”, (*Dist. 5 c. 13 § 4*).

4. Ibidem (*c. 18 § 6*): “Si quis tale quid (id est graviorem culpam) extra monasterium commiserit, frater, qui cum eo est, studeat ejus excessum errore quantocitus corrigendum intimare”.

5. In constitutionibus Minorum (ed. a Guillelmo Farinario, ac probatis in Capit. Gener. tempore S. Bonaventurae): “Teneantur fratres per obedientiam exeuntes, in reditu suo secrete Guardiano excessus notabiles intimare”.

6. S. Ignatius (*Comp. Const. n. 89*): “Ad majorem in spiritu profectum, et praecipue ad majorerm submissionem et humilitatem propriam, contentus esse quisque debet, ut omnes errore set defectus ipsius, et res quascumque, quae notatae in eo et observatae fuerint, superioribus per quemvis, qui extra confessionem eas acceperit, manifestentur”.

7. Idem statuit, ut novitius ingressurus societatem, statim interrogetur, an contentus sit futurus, ut omnes ejus errore set defectus etc. ut supra, (in *Exam c. 4 § 8*).

[POESIE]

9971 Per la Natività di Maria SS.

Dell'aurea età felice il primo Sole
Già nato a pena a tramontar fu visto
Su la cuna del Mondo; ond'è che il tristo
Adulto ognor del suo fallir si duole.
In ogni loco intanto errano sole
Belve sì immani, e fan di possa acquisto;
Che orbo ei di luce, e di valor sprovvisto,

Non che le infreni, anche le teme, e cole.
Servo si giace, e come tal che ancora
Di libero tornar perde la speme,
A l'ombra de la Morte, anzi nel seno.
Olà! misero sorgi. Ecco l'aurora
Nunzia d'un dì perpetuo, e più sereno:
Vannosi l'ombre in fuga, e i Mostri insieme.
(*Sonetto di D. Bertoni Gasp.*)

9972 Fuerunt mihi lacrymae meae panes die ac nocte
dum dicitur mihi quotidie: ubi est Deus tuus? *Ps. 41,4.*
Silui a bonis, et dolor meus renovatus est. *Ps. 38,3.*
Flevi cum flentibus; nunc autem gaudeo cum gaudentibus. *Cf. Rom. 12,15.*

Sonetto

Dal dì che Amor, in valle erma romita
Sul margine d'un fonte a specchio assiso
A contemplar mi diede il suo bel viso;
Languo d'immedicabile ferita.
Poiché già più non vidi: e sol l'ignita
Freccia rimase, ond'è il mio cuore inciso.
Ahi lasso cor! da l'alma tua diviso
Qual mai sperar potevi tu, qual vita!
Gemea coprendo a tutti il mio dolore
Che niun potea sanar, salvo quel solo
Che mi ferì; ma pur chi 'l crederia?
Veder ch'oggi al trionfo dell'amore
Segue di cuor trafitti un lungo stuolo,
A medicar bastò la piaga mia.

[Qual ne l'aprirsi]

9973 Qual ne l'aprirsi de' fioriti giorni
Fa l'aleggiar de' zefiri vezzoso
Che il novello giardin si muova et orni;

Dal freddo verno di pigro riposo
Tal fu tratto il mio cor su gli anni verdi
Da la voce gentil d'un casto Sposo.
L'udii; n'arsi; il vidi quasi; in ver di
Lui, troppo tarda, ti volsi, e l'orme
Lievi, debil pupilla mia, tu perdi.
Chi mi dirà de le leggiadre forme
Del Pastorello, e dove pasce, e dove
Tra l'agne al mezzodi sen dorme?
A pietà de' miei mali si commove
Tutta intorno la selva, e il prato, e 'l colle
E l'Eco par che i lagni miei rinnove.
9974 Ma come al nato sol sua faccia molle
Di notturna rugiada absterge e abbellà
La terra, e ride da le pinte zolle;
Così m'apparve un Garzoncel, che a quella
Luce, che dal suo bel viso n'uscita,
Lo riconobbi una labente ¹⁾ stella.
A te, diss'egli, il mio Signor m'invia
Paraninfo gentil, che a casti amplessi
Se tu mi segua, t'aprirò la via.
In me stupiva a questo dir, e ai spessi
Lampi degli occhi suoi vivi, e brillanti
Ch'io non so ben, se dentro me mi stessi.
Chi domanda il tuo cuore, infra gli Amanti
Ei prosegua, di Grazia, e di Bellezza
Non havvi alcun che sovra Lui si vanti.
9975 Il più bel fior di fresca giovinezza
Da vezzeggianti aurette matutine
Nel giardino d'Amor non s'accarezza
Sparso d'oro più terso è il biondo crine
Ne 'l viso augusto godi un altro cielo
In cui scintillan due luci divine.
Non così appar, trattosi appena il velo
Notturmo d'in su l'Alba rugiadosa,
Bianco, o vermiglia sul nativo stelo
Come su quelle guancie e Giglio e Rosa.
Né mai se voli qui, che un fior le crede,
Colse più dolce mel l'Ape ingegnosa.

E latte e neve a la bianchezza cede
Del vago eburneo collo, e de la mano
Sì ben tornita, e del marmoreo piede.
9976 Se tui cerchi vederlo, il cerchi invano
Se pria non l'ami: e questo ti ricorda
Che ei parla al cuor, ma dolcemente, e piano
Tendi l'orecchio adunque, e se t'assorda
Il romor de le genti, esci, abbandona
La patria, il tetto, e il popol tuo ti scorda
Ed il tuo Re ti ama, e a te si dona;
Che quell'Amor, quella Beltà, quel Seno
È di nobil virtù premio e corona.
Anime triste, che stimate meno
D'un vapor passeggero, che lusinga,
Un vero Sol di vera luce pieno
Verrà quel dì che quell'ombra vi cinga
Cui tanto amate, nel suo bujo eterno
[E morderete per dolor la lingua]
E intorno al cuore amaro duol vi stringa
Esclusi sempre dal bel dì superno.

¹⁾ Lettura incerta (celeste? lucente?)

9977 **CONGREGAZIONE MARIANA**
 COORTE MARIANA
 Governo

DELIBERATIVO: GERASIA.

Direttore

1. Presidente allo spirito
2. Presidente all'ospitalità
3. Presidente agli Studj
4. Presidente ai divertimenti - Censore - Speditore
5. Presidente alla musica
6. Presidente alla istruzione
7. Presidente al catechismo

8. Presidente alla calligrafia

9.

CONSULTIVO: STATO MAGGIORE

Organizzatore - Prefetto - Decemviro I. II. - Maestro Novizj - Scrutatore -
Arrolatore - Sottomaestro - Cancellieri 4 Centurie - Cancelliere maggiore

ESECUTIVO: OFFIZIALI

Centurione I. - Pentacondarchi 4 - Centurione II. - Centurione III. -
Pentacondarchi 4 - Centurione IV.

MINISTRATIVO: IMPIEGATI

Sacristani 2 - Infermieri 4 - Forieri 4 - Questori 2

9978

ORCHESTRA

Banda cantori

Crucifero - Coriarco - Capobanda cantori

Coro I: Proposta:

Maestro - 1. Tenore - 2. Soprano - 3. Contralto - 4. Basso

Coro II: Risposta

Forieri 2. - 5. Tenore 2° - 6. Soprano 2° - 7. Contralto 2° - Basso
Sottomaestro.

Banda suonatori

Capobanda suonatori

Coro I: Concerto

Maestro - 2 Violini - Viola - Violoncello - Forieri 2

Coro II: Ripieno

Maestro - 2 Flauti traversi - 2 flauti - Forieri 2 - Ottavini - Tromba
- Cembalo - Sottomaestro

9979

MANIPOLO I: AGGREGATI

Centuria I: Seniori

Compagnia I: Ammogliati

Turma I

Decuria I.

Decurione - Prima fila: 1-2-3-4- Primipilo - Secondipilo

Seconda fila: 5-6-7-8- Sottodecurione

Nome, età, confessione, condizione, contrada, abitazione, numero

Decuria II:

(come sopra): Icosiarco I. - Icosiarco II.

Decuria III.

Decuria IV.

Pentacondarco I - Pentacondarco II

Compagnia II:

Turma III.

Decuria V.

Decuria VI.

Icosiarco III. - Icosiarco IV.

Turma IV

Decuria VII.

Decuria VIII.

9980

Centuria: Juniori

(come sopra) Interni – Forensi

Manipolo II: ARROLATI

Centuria III: Alunni

Maggiori: da Comunione

Novizj: 1.a Probazione - 2.a Probazione. - Iniziati

Minori: non comunicati.

Cresimati - da cresimare

Centuria IV: Fanciulli

Da instruirsi per la Confessione

Da instruirsi nelli Misterj.

REGOLAMENTO della Congregazione Mariana

9981 Estratto di Regolamento della Congregazione Mariana

I. (paragrafo 4)

Il Santo Protettore d'ogni mese: quello che avrem scelto nel Ritiro. Si pubblicherà la prima Domenica.

II. (paragrafo 8)

La cura di regolare in tutto quest'unione apparterrà al Sacerdote Direttore, che

che ne sarà incaricato. E però ognuno sifarà un dovere di obbedirgli in tutto ciò che riguarderà quest'unione con ogni rispetto e sottomissione.

9982 III. (paragrafo 9)

Si eleggeranno peraltro tra i Confratelli suddetti un Prefetto, due Assistenti, 4 Consultori, un Segretario, etc.. che aiuteranno il Sacerdote eletto nella cura di regolare quest'unione; ed ognuno porterà loro nel tempo che dureranno in carica il dovuto rispetto ed ubbidienza.

IV. (paragrafo 11)

Perché le cose procedano con miglior ordine, si distribuiranno i Fratelli in tante piccole Compagnie, che si chiameranno Decurie; alla testa di ognuna delle quali si metterà uno dei fratelli, che si chiamerà Decurione. Ogni Decuria sarà composta ordinariamente da 10 Fratelli più vicini possibile di età, compreso anche il Decurione; e non potrà mai essere composta di un numero maggiore, ma bensì minore. Si Chiamerà Decuria Prima, Seconda, Terza, ecc... cominciando dai più giovani, e fra di loro non vi sarà differenza di sorta.

9983 V. (paragrafo 12)

In ogni incontro, in cui la Congregazione si trovi insieme, o all'Oratorio o alla Comunione, o alla Processione, tutti quelli che appartengono ad una Decuria, dovranno trovarsi uniti ed avere alla testa il loro Decurione, chiudendo l'ordine il Prefetto con i due Assistenti, il Segretario etc...

(paragrafo 13)

(paragrafo 15)

Ognuno si farà un dovere di prendere in buona parte le ammonizioni del suo Decurione e prevalersene a propria correzione ed emenda. Tutti si guarderanno dal beffeggiare od insultare in qualsiasi altro modo i Decurioni, o altri costituiti in carica, perché mostrando con questo uno spirito di orgoglio, di insubordinazione e di incorribilità, meriterà d'essere discacciato dalla Congregazione.

9984 (paragrafo 16)

Ognuno che sarà costituito in carica si guarderà da ogni ombra di vanità e di ambizione; non si considererà in alcun modo come superiore agli altri, ma come fratello. Quindi nel presiedere, invigilare, e nell'ammonire, si guarderà dalle maniere aspre, altiere, e dalle parole pungenti; ma userà la mansuetudine e la dolcezza; ad essi appartenendo solo l'ufficio di avvertire, di esortare caritatevolmente i compagni, e denunziarli al Sacerdote Direttore, quando abbisognano di correzione: in tutto guidati dall'amore e dalla carità verso i Fratelli e non da invidia, risentimento o punitivoglio. Loro dovere è d'essere in tutto più esatti ed esemplari degli altri per essere con il loro esempio di eccitamento, di regola a tutti: e se mancano in qualche cosa, sappiano che la mancanza è in loro tanto più grave, quanto è cagione delle mancanze degli altri.

9985 VIII. (paragrafo 17)

Nessuno condurrà alcuno a questi esercizi senza saputa e consenso del Sacerdote Direttore. E però il Prefetto osserverà se vi è alcuno di nuovo, dimanderà se il Direttore sia informato e lo abbia permesso, altrimenti gli dirà di partire.

IX. (paragrafo 19)

Quando occorresse partecipar qualche avviso a tutti i Fratelli, né si potesse aspettare che si raduni la Congregazione, il Prefetto e gli Assistenti lo comunicheranno a tutti i Decurioni, ed ognuno di essi avrà la cura di farlo passare a tutta la Decuria.

9986 X. (paragrafo 20)

Se alcuno dimanderà entrare nella Congregazione, presenterà la sua supplica al Prefetto, il quale ricercherà l'età, il costume del ricorrente, se sia da Comunione, se sappia leggere e scrivere, rimetterà la medesima al sacerdote col suo parere, e con quanto avrà ricavato coll'esame circa i punti predetti, per sentirne la di lui risoluzione. Quando il Postulante venga accettato colla pluralità de' suffragi del Direttore, Prefetto, Assistenti, Consultori e Cancelliere, sarà cura del Prefetto farlo informare dagli Assistenti delle Costituzioni, fargli dare dal Segretario etc...col metodo particolare di vita.

9987 XI. (paragrafo 21)

Chi colla poca osservanza di queste Regole, colla poca subordinazione a chi presiederà a quest'unione, o in qualunque altro modo sarà di disturbo e di mala edificazione ai compgni, dopo che sarà stato due volte avvertito e corretto dal Sacerdote Direttore, senza che egli si emenda, il Prefetto per ultimo avviso lo minaccerà di cancellarlo dal libro; e poi non mutando costume, egli unitamente agli Assistenti e Consultori, avutane però sempre l'approvazione del Direttore, ordinerà al Segretario che il tolga dal libro, ed in pubblica Congregazione si leggerà il nome di quello che sarà stato cancellato, coll'addurne la cagione; né mai più potrà egli intervenire alle solite funzioni cogli altri.

9988 (paragrafo 11) Metodo di vita

Si ameranno scambievolmente con santa carità, guardandosi sempre in qualsiasi occasione dal darsi la minima offesa, o con parole pungenti, e molto più con i fatti. Se alcuno ne riceverà da qualche fratello, procurerà di soffrirla pacificamente per amore di Gesù. E se per la fragilità offendesse qualcuno, procurerà di riparar il male prontamente, dimandar scusa o con usargli buona grazia, che tolga subito ogni pericolo di risentimento e di amarezza.

9989 **FRAMMENTI**

Dieu tout-puissant, qui faites résentir les effets de votre clémence et votre bonté sur toutes vos creatures, jetez un regard de misericorde sur ce pauvre malade: daignez vous resouvenir de la promesse que vous avez faite: tout ce qui demandez au nom de mon Fils Jesus, vous sera accordé; nous croyons en votre puissance et votre bonté aussi fortement qu'en votre présence réelle sur nos saints autels. Daignez délivrer ce pauvre malade de ses maux à fin qu' il puisse remplir avec ferveur les devoirs de son état, au nome du Père et du Fils, et du Saint-Espirt.

Inserzioni del Bertoni

9990 Inserzioni del Bertoni in un manoscritto di D. Matteo Farinati contenete un riassunto della vita di S. Gaetano Thiene, fondatore dei Teatini

5. Si diè tutto al Dini servizio e per arrivare alla santità e parità, si fé sacerdote.

6. Ricevo, disse, ogni giorno quello che grida: Discite a me, quia mitis sum et humilis corde, Matth 11,29 e non lascio la mia superbia; l'Illuminatore e la Via: ego sun via Jo. 14,6, eppur non so trovar la via e il modo di fuggir dal mondo. Arde nelle mani quel divin fuoco che dice: ignem veni mittere etc.... Luc 12,49 e io resto freddo e gelato !

...

13. S'accorgea d'aver posta la mira a troppo alto segno; non di meno, perché tornava a utile e onor della Chiesa, stimò che fosse traccia del cielo; e sempre ch'egli avesse tirata innanzi l'impresa, non sarebbe mancata a sì gram pesnieri l'assistenza e la mano divina.

Regole **per la recita del Breviario**

9991 Regole per la recita del Breviario

1. Guarda il calendario
 2. Porre i segi in ordine, tutti, anche del Salm
 3. Comporre la persona in tutti i sentimenti e i gesti
 4. Recitar o in piedi, o in ginocchio, omper necessità sedendo, senza verun appoggio o torcimento di vita
 5. Recitarlo con sufficiente pausa
 6. Pronunzia spiccata, notando qualunque volta non si spiccò
 7. Leggere con tal attenzione da non ripetere alcuna parola
 8. Comporre, mani, vita, piedi.
 - 9.
-

Piano

dell'Istituto delle Sorelle della sacra Famiglia

9992 Rifacimento del n. 3 del piano dell'Istituto delle Sorelle della sacra Famiglia

3. Scopo di questa nostra unione si è di onorare primieramente il Sacro cuore di Gesù, e con esso eziandio il Cuore purissimo di Maria, contemplando in questi cuori Santissimi come nella sorgente gli atti e gli affetti della carità più infiammata inverso di Dio e degli uomini, e procacciando di ritrarne copia fedele in noi con la più diligente imitazione. A questo eccelso fine prendiamo per guida il gloriosissimo Patriarca S. Giuseppe, il quale per lo stretto congiungimento a quei Sacratissimi Cuori ebbe sì alto grado in questa sublime Scuola di amore. Di qui apprenderemo a santificare le nostre anime per l'esercizio di tutte le virtù, e a procurare, in quanto può convenire al nostro sesso, la salute de' nostri prossimi.

fine